



LIBRERIA NAZIONALE
S. M. T. EMANUELE
14
27 M
43
188-64

3



DE
REPUBLICA
ECCLESIA-
STICA

Libri quatuor

CONTRA MARCVM AN-
TONIVM DE DOMINIS, NVPER
*Archiepiscopum Spalatensem, nunc Deser-
torem & Apostatam,*

AUTHORE

MARTINO BECANO SOCIETATIS
Jesu Theologo, & in Cæsarea Academia Vi-
ennensi Professore Ordinario.




Cum Gratia & Privilegio Cæsar. Mæjst.

MOGVNTIÆ

Ex Officina JOANNIS ALBINI.

ANNO M. DC. XIX.



APPROBATIO R. P. PROPINCE

Provincia Rhenana Societatis

JESU.

Hos IV. libros de Repub. Ecclesiastica à R. P. Martino Becano Societatis nostræ Theologo contra M. Antonium de Dominis conscriptos, atq; à deputatis ad id Theologis lectos & approbatos. Ego Joannes Copperus Societatis JESU, apud Rhenum Provincialis, concessa mihi facultate ab admodum R. P. N. Mutio Vitalesco, Societatis nostræ Præposito Generali, Typis mandari permitto. Molsheim, An. 1618. die 2. Septemb.

Joannes Copperus.



PAULO V.

PONTIFICI MAXIMO.



LIQUOT jam menses elapsi sunt, Beatissime Pater, cum in Austriam rumore perlatum est, novum Ecclesiae hostem, Marcum Antonium de Dominis, subito è latetris prodisse; qui Divi Petri ac successorum ejus Primatum, temerè oppugnare ausus sit. Monitus à bonis viris, & omninò persuasus sum, ut brevi scriptioe hominem confutarem. Ac fecissem id sine mora: Sed exemplar voluminis, quod ille conscripsit, habere non potui. Viennæ, nullum erat. Unum tandem aliunde nactus. Feci id, quâ

(?) z potui

potui brevitate ; totamque confutationem libris quatuor complexus sum ; quos cum eâ , quâ par est , observantiâ ; Tuæ Sanctitatis conspectui nunc offero. Hostis, ut dixi, novus est ; sed veterum hæreticorum vestigia sequitur : ac eodem, quo illi, spiritu superbiæ ac rebellionis, ad scribendum impulsus est. Nostro commodo ; suo detrimento. Nam ille quidem, nihil aliud hoc suo conatu , vel assecutus est, vel assequi potuit ; quàm ut veluti membrum putidum ab Ecclesiæ corpore præscinderetur , & omni vitali succo ac spiritu destitutum , penitus exaresceret. Nobis contra accidit. Oblata est occasio benè merendi de Ecclesia ; confirmandi Catholicos in fide ; revocandi seductos ab errore ; confundendi adversarios , ne pergant insolescere. Quam minimè negligendam censeo:

leo: præsertim cùm nostræ Societatis hominibus, id vel maximè commendatum esse sciam à Beato P. N. Ignatio, ut Romanæ & Apostolicæ Sedis authoritatem omnî studio ac industria tueamur. Quod quidem hætenus præclarè ab Illustrissimo Cardinale Bellarmino, alijsque doctissimis & præstantissimis eiusdem Societatis scriptoribus præstitum est. Ego sanè, qui minimus sum, non patiar voluntatem mihi deesse. Faciam, quod illi fecerunt: si non pari fructu; certè non minori affectu. Et meritò. Naturæ instinctus eo nos ducit. Videmus, in humano corpore, quanta membrorum omnium cura ac sollicitudo sit in conservando capite. Singula malint in seipsis immissam plagam accipere, quàm in læsionem Capitis consentire. Quid ni? Salvo Capite, membrorum salus sperari potest: læ-

EPISTOLA


fo, vix potest. A Capite, cum saluum est, derivantur spiritus sensitivi in corpus uniuersum; & singulis membris vitalem vim ac vigorem imperiunt. In Capite vigent sensus, ratio, prudentia, memoria, quibus membrorum actiones diriguntur. Nemo hoc nescit. At eandem esse proportionem in Corpore Ecclesiæ, Christiana fides nos docet. Illius corporis membra nos sumus. Caput primum, Christus; Vicarium, Pontifex. A Christo, tanquam perenni fonte ac scaturigine, diffunduntur in nos aquæ salientes in vitam æternam. Ab eius Vicario, in nostris actionibus gubernamur. De utriusque conservanda authoritate sollicitos nos esse, par est. Si Ariani Christo, si Calvinistæ Vicario illius plagam intentant: nos objecto clypeo, excipere eam oportet. Præluxerunt nobis in hoc studio antiqui Patres, qui & Christi

Christi Divinitatem contra Arium, & Romani Pontificis Primatum contra Schismaticos, suis scriptis egregiè propugnarunt. Nos in eorum locum successimus. Non debemus esse filij degeneres; sed illorum fidè, ac fervorem imitari. Hæc nostra vocatio est. Ad hanc exequendam, tãtetsi mea sponte fuerim propensissimus, magni viri, suo jure, cohortati me sunt. Feci, quod potui. Si quid profeci, cedat in bonum publicum: sin minus, obedientiæ fructus me consolabitur. Quod reliquum est, vestram Sanctitatem benè valere, & in pio promovendi rem Christianã studio persistere, ex animo precor. Viennæ Austriæ, ex Cæsareo Societatis Jesu Collegio, an. Christi 1618. mense martio.

Vestra sanctitatis

Humillimus in Christo servus

MARTINUS BECANUS.



LECTORI.

1

NOTVM ex Evangelio est, Scribas & Phariseos, suo quidem Iudicio ac opinione in Scriptura Veteris Testamenti fuisse exercitatissimos. Et tamen Christum de ijs dixisse: Cæci sunt, & duces cæcorum. Nimirum, externum Scripturæ corticem videbant; sed sensum sub cortice latentem non videbant. Idem contingit nostris aduersariis. Scripturarum authoritate se tuentur; & illarum intelligentiam, consecutos se esse, non solum ipsi existimant, sed etiam palam gloriantur. Et tamen cæci sunt. Non vident in Scriptura, quod boni omnes vident. Quid illud? Ex multis, unum hoc accipe, Non vident, frustra se laborare in oppugnando Pontificis Primatu & authoritate: Non vident, se suo conatu, non Pontifici, sed sibi ipsis interitum conseciscere. Nam Pontifex quidem oppugnari potest, sed expugnari non potest. Hoc, quia cæci, sane non vident. Et tamen in Scriptura consignatum est. Legimus in Veteri Testamento, quid rebelles moliti sint contra Primatum Aaronis: quo eventu id fecerint: quo miraculo, conatum ipsorum irritum fuisse, ac deinceps fore, Deus palam demonstravit.

2. Res gesta describitur Numer. 17. his verbis: Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere ad filios Israel, & accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas, à cunctis Prin-

cupibus tribuum, virgas duodecim, & uniuscujusque nomen supercribes virgæ suæ. Nomen autē Aaron erit in tribu Levi, & una virga cunctas seorsum familias cōtinebit: ponetque eas in Tabernaculo fœderis coram testimonio, ubi loquar ad te. Quem ex his elegero, germinabit virga ejus: Et cohibebo a me querimonias filiorum Israel, quibus contra vos murmurant. Locutusque est Moses ad filios Israel: & dederunt ei omnes Principes Virgas per singulas tribus; fueruntque virgæ, duodecim absque virga Aaron. Quas cum posuisset Moses coram Domino in tabernaculo testimonij, sequenti die regressus invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi: & turgentibus gemis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati sunt. Protulit ergo Moses omnes virgas de conspectu Domini ad cunctos filios Israel: videruntque, & receperunt singuli virgas suas. Dixitque Dominus ad Moses: Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonij, ut servetur ibi in signum rebellium filiorum Israel, & quiescant querelæ eorum à me, ne moriantur.

3. *Hic, qui caci non sunt, manifestè vident, Primatum Aaronis & successorum ejus, contra querimonias & conatus rebellium miraculo Virgæ germinantis, à Deo consignatum & confirmatum esse; mortemq; ijs omnibus intentari, qui simili scelere ac temeritate, in posterum obstricturi se essent. Sed quid hoc, inquires, ad Romanum Pontificem? quid ad eos, qui illius Primatui hostes se esse profitentur? An-*

Præfatio

di Apostolum 1. Cor. 10. 6. Hæc, inquit, in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt, &c. Neq; murmuraueritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore. Ex quo loco, si cæcus non es, sic ratiocinandum tibi est: Quæ fiebant in veteri Testamento, erant umbra seu figura futurorum in novo Testamento. At Deus in veteri severè puniebat eos, qui erant rebelles Pontifici: & Primatum Pontificis volebat salvum ac illis sum persistere. Ergo idem in novo facturus est, & re ipsa facit. Quod aperte insinuat Apostolus loco citato, cum ait: Hæc autem omnia (inter quæ erat rebellio) contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram.

4. Ut hoc clarius percipiatur, explicanda est figura, quam attuli. Potest autem sic explicari. Jacob habuit duodecim filios Patriarchas, ex quibus duodecim tribus filiorum Israel exorta sunt. Vna ex illis tribubus, quæ erat Joseph, dividebatur in duas, Ephraim scilicet & Manasse. Sic tredecim effecta sunt. Principes harum tribuum, erant Primogeniti. Unus ex illis fuit Aaron, in tribu Levi; cui Primatus Sacerdotij præ cæteris, à Deo datus est. Obstiterunt illi rebelles sed à Deo puniti sunt. Et quod solus Aaron cum suis successoribus, perpetuum esset habiturus Primatum, miraculo virga germinantis demonstratum est.

5. Hæc figura est. Sequitur applicatio. Christus habuit duodecim Apostolos, Principes ac primogenitos filiorum Novi Testamenti. His Paulus, decimus tertius adjuñctus est. Petrus, præ cæteris Prima-

nam à Christo obtinuit, his verbis, *Pasce oves meas. Et ad significandam istius Primatus stabilitatē, dictum est illi, & successoribus ejus : Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Quotquot haec Tenus Primatum Petri & successorum ejus oppugnarunt, exterminati sunt : Et qui deinceps oppugnaturi, simili pœna subjacebunt.*

6. Igitur, ut verbo dicam, Jacob fuit figura Christi: Patriarcha, Apostolorum: Aaron, Petri Virga Aaronis germinans, fidei Petri non defectura: Rebelles Judæi, rebellium Christianorum: Fœna, qua illi plexi sunt, pœna, qua hi plectuntur. Qui hoc non vident, cæci sunt. Cæci igitur Lutherani & Calvinista. Cæcus Marcus Antonius de Dominis, qui post irritos aliorum rebellium conatus, adhuc non videt, oppugnando Petri Primatu, oleū ac operam se perdere. Nec perpendit, quod prudenter à Gamalie dictum est, Act. 5. 59. Si ex Deo est hoc opus, non poteritis dissolvere illud.

INDEX CAPITUM MAT-
TERIAM HORUM LIBRO-
rum complectentium.

LIBRI PRIMI

De Christo supremo Ecclesiæ Capi-
te, seu Monarcha

Cap. 1. <i>An Ecclesia Christi, ab ipso Christo funda- ta & edificata sit?</i>	8
Cap. 2. <i>Quando Christus ceperit esse caput Ecclesiæ?</i>	16
Cap. 3. <i>An Christus sit Caput Ecclesiæ visibile?</i>	19
Cap. 4. <i>Quod sit officium Christi quatenus est Caput Ecclesiæ?</i>	21
Cap. 5. <i>Annon sit aliud caput Ecclesiæ præter Chri- stum?</i>	27

LIBRI SECUNDI

De Primatu Petri

Cap. 1. <i>Quod Spiritus Sanctus proprie non sit vica- rius Christi.</i>	44
Cap. 2. <i>Refellitur Primatus Petri à Marco Anto- nio confictus.</i>	49
De Primatu vocationis.	52
De Primatu Charitatis.	65
Cap. 3. <i>Verus Petri Primatus probatur ex scriptura.</i>	69
Cap. 4. <i>Primatus Petri probatur ex Patribus.</i>	85
Cap. 5. <i>Primatus Petri probatur ex Augustino.</i>	105
Cap. 6. <i>Primatus Petri probatur ex Petri.</i>	117

Index Capitulum.

<i>Prima Prærogativa Petri.</i>	119
<i>Secunda Prærogativa.</i>	124
<i>Tertia Prærogativa.</i>	126
<i>Quarta Prærogativa.</i>	127
<i>Quinta Prærogativa.</i>	129
<i>Sexta Prærogativa.</i>	134
<i>Septima Prærogativa.</i>	142
<i>Octava Prærogativa.</i>	151
<i>Reliquæ Prærogativa.</i>	152
<i>Nonæ Prærogativa.</i>	155
<i>Decima Prærogativa.</i>	159
<i>Undecima Prærogativa.</i>	ibid.
<i>Duodecima Prærogativa.</i>	160
<i>Decima tertia Prærogativa.</i>	163
<i>Cap. 7. Diluuntur objectiones Marci Antonij contra Præmatum Petri.</i>	165
<i>Prima. Ecclesia Apostolis omnibus æque fuit com- mendata.</i>	166
<i>Secunda. Evangelium reprobat Præmatum inter Apostolos.</i>	181
<i>Tertia. Ipsi Apostoli in Petro non agnoverunt pri- matum.</i>	184
<i>Quarta. Petrus nunquam exercuit præmatum.</i>	186
<i>Quinta. Pauli reprehensio destruit Præmatum Pe- tri.</i>	189
<i>Sexta. Pauli scripta destruunt Præmatum Petri.</i>	197
<i>Septima. Ex comparatione Petri & Pauli destruitur Præmatum Petri.</i>	201

De Primatu Romani Pontificis

- Cap. 1. *An Ecclesia Romana à Petro fundata sit?*
212
- Cap. 2. *An Petrus fuerit Episcopus Romana Ecclesia?* 228
- Cap. 3. *An Pontifex sit successor Petri?* 233
- Cap. 4. *An Pontifex sit Caput seu Pastor universalis Ecclesia?* 238
- Privilegia Pontificis.
- Primum. *Tota Ecclesia Pontifici gubernanda commissa est.* 240
- Secundum. *Appellatio ad Pontificem.* 250
- Tertium. *Qui in fide non vult errare, debet adherere Ecclesia, & Pontifici Romano.*
254
- Quartum. *Nullum Decretum statui potest pro tota Ecclesia, nisi Pontifice consentiente* 257
- Quintum. *Pontifex potest sancire leges Ecclesiasticas, qua obligent universam Ecclesiam.*
261
- Sextum. *Pontifex potest excommunicare Episcopos, Reges, & Principes graviter delinquentes, si contumaces sint.* 263
- Cap. 5. *Diluuntur Objectiones Marci Antonij contra Primatum Pontificis.* 267
- Prima. *Ex Principijs Marci Antonij.* ibidem
- Secunda. *Ex doctrina Parisiensium.* 268
- Ter-

Tertia. Ex eo, quod in Ecclesia nulla sit jurisdictio.

269

Quarta. Ex dictis Pelagij, & Gregorij Pontificum.

272

Quinta. Ex Conciliis Oecumenicis. 280

Sexta. Ex Episcopis Asianis. 281

Septima. Ex Cypriano. 283

Octava. Ex Firmiliano Episcopo. 290

*Nona. Ex Episcopis Orientalibus in Concilio Antio-
cheno.* 292

Decima. Ex Athanasio. 294

Undecima. Ex Basilio. 296

Duodecima. Ex Nazianzeno. 297

Decima tertia. Ex Hieronymo & Damaso. 299

Decima quarta. Ex Socrate. 305

Decima quinta. Ex Ambrosio. 306

Decima sexta. Ex Augustino. 307

Decima septima. Ex Concilio Africano. 309

LIBRI QVARTI

De Rectoribus & Ministris
Ecclesiæ

Cap. 1. An singuli Episcopi cum plena potestate in
solidum regant Ecclesiam? 312. & 313

Cap. 2. An Ministri Ecclesia jure teneantur ad Cæ-
libatum. 315

Cap. 3. An votum continentia sit annexum sacro
ordini? 334

Cap.

Inaex Capitum.

Cap. 4. An votum continentiae quod sacris ordinibus annexum est, dirimat matrimonium?

336

Cap. 5. An sacer ordo sit Sacramentum? 340

Cap. 6. An Augustinus duo tantum agnoscat Sacramenta? 372

Cap. 7. De Monachis & Apostatis. 374




MAR-

1

I

MARTINI BECANI
DE REPUBLICA
ECCLESIASTICA
LIBRI QUATUOR

Contra Marcum Antonium
de Dominis.



*L*ibellus tuus, Marce Antoni, quem scripsisti de consilio profectio- nis tua in Angliam, diebus superioribus Viennam Austria ad me perlatus est. In quo pro- mittis decem libros de Republi-

ca Ecclesiastica, magno multorum annorum studio ab te elaboratos: 1. De Monarchia Ecclesie, & Pri- matu Petri. 2. De Ministris & Reſtoribus Ecclesie. 3. De Hierarchia Ecclesiastica. 4. De privilegiis & praeminentia Romana Ecclesie, pra aliis Ecclesiis particularibus. 5. De potestate & jurisdictione Ecclesie. 6. De potestate & jurisdictione Regum ac Prin- cipum in Ecclesiam. 7. De interna Ecclesie directio- ne, qua fit per fidem. 8. De externo Ecclesie regimine per leges, canones & judicia. 9. De temporalibus Ec- clesie bonis. 10. De libertate Ecclesiastica.

2. Priores quatuor jam exstant, Londini in Anglia nuper excusi. Quid de posterioribus futurum, nescio. Porro primaria puncta, qua in prioribus a te pertractantur, sunt ferè hac: 1 Ecclesiam Christi, non ab ipso Christo in hac vita, sed ab Apostolo post

Christi ascensionem, adificatam esse. 2. Christum quidem esse caput Ecclesia invisibile; nunquam tamen fuisse caput visibile. 3. Vicarium Christi in regimine totius Ecclesia, nec Petrum, nec Pontificem esse, sed S. sanctum. Petrum reliquis Apostolis, Pontificem reliquis Episcopis parem esse; non superiorē. 4. Episcopos tamen jure diuino eminentiores esse presbyteris. 5. Sacrum ordinē, quo Episcopi & presbyteri initiantur, non esse proprie Sacramentum. 6. Ministros Ecclesia ad cœlibatum jure non teneri. 7. Votū continentia non esse annexum sacro Ordini: nec ullo tali voto dirimi matrimonium. 8. Monachos non esse ministros Ecclesia, nec fieri Apostatas, si post votum solenne, relinquāt monasterium, & redeant ad vitam secularem. Omitto alia minoris momenti.

3. Ex his duo colliguntur: Unum est, te neque Catholicum esse, neque Lutherannum, neque Calvinistam; sed ab omnibus dissentire, & novum doctrina symbolum, partim ex aliorum scriptis, partim ex tuo cerebro consarcinasse. Alterum, duplici spiritu ad scribendum impulsus te esse: altero odij in Pontificem; altero amoris propria excellentia & cupiditatis. Et quidem in Pontificem, ut passim in tuis libris apparet, amaro & iracundo es animo. Itaque ulciscendi studio, conaris illum de Primatu Ecclesia deturbare, negando Christi Vicarium, & visibile Ecclesia caput esse. Hoc non potes, nisi idem neges de Petro, cujus ille successor est. Et hoc ergo negas. Sed si Petrus non fuit visibile caput Ecclesia, necesse est, vel neque Christum fuisse, vel Ecclesia statum mutatum esse; quippe qua prius habuerit visibile caput Christum; postea nullum habuerit.

Posterius membrum, de facta mutatione, non aude
asserere. Afferu igitur, Christum non fuisse visibile
caput Ecclesia. Quo posito, rursus sequitur, vel Ec-
clesiam à Christo in hac vita visibiliter existente
fundatam non esse; vel si fundata est, sine visibili
capite fundatam esse. Priori parti insistis. Ecce, quò
impellit te odium?

4. De altero spiritu, qui est amoris propria ex-
cellentia & cupiditatis, nemo dubitat, qui te novit.
Nulli impar, paucis par, plerisque superior esse vis.
Dejecto Pontifice, nulli impares: Episcopis par ma-
nes. Ut reliquis omnibus superior sis; verè quidem
sed ambitiosè contendis, Episcopos presbyteris, iure
divino, eminentiores esse. Ex quo futurum speras,
ut in Anglia, non nisi cum Episcopis pari passu am-
bulos: Cateri, quicumq; illi sint, honorem & obsequiũ
tibi deferant. Et, ne quis audeat apostasiam tibi ob-
jicere, quod deserto statim religioso, ad saculum redij-
sti; huic quoq; objectioni putas abunde satisfieri, si
neges Apostatas esse, qui ruptis votorum vinculis,
quibus erant astricti, ad sacularem vitam profugi-
unt. In quo, magnum patronum habes, Lutherum
qui & calamo & exemplo id te docuit. A quo etiam
persuasus es, neg; ministros Ecclesia ad cœlibatũ ob-
ligari, neg; votum continentia, quod sacris Ordini-
bus annexum est, matrimoniũ contractum dirimere
ullo modo posse. Quo concesso, licebit tibi jam prope
sexagenario, uxorem ducere, voluptati operam da-
re, & novos, ne progenies intereat, Marcòs Anto-
nios procreare. Et tunc, cantabitur canticum can-
ticorum, quod Apostata occinunt: Valete & plaudi-
te: Crescite & multiplicamini.

Trinam tuam esse heticam, schismaticam, erroneam, falsam, periculofam, temerariam, scandalofam, fedtiosam, pacis Ecclesia perturbativam, ftatui Sacerdotali & Epifcopali contumeliofam, totius Ordinis Hierarchici fubverfivam, piarum aurium offenfivam. Sic illi pro fua libertate & constantia, quam laudas. Satin feverè? Tu ipfe iudex efts. Sed, nec defunt alij Antagonifta, qui inftitutio agmine te invadent. Ego, quia arbitror magno apparatu opus non effe, folus cum folo congregi paratus fum. Neque de conditionibus follicitum aut perplexum te effe velim. Servabo, quas exigis. Ac primò, tametsi Epifcopus non fim, fed Religiofus Societatis Jefu, qui in fmodi dignitates, ratione inftituti mei, non amaro (utinam nec tu, cum in eodem ftatu mecum eras, oportune ambiviffes) fum tamen Theologus, non anè novitiu; & cum multis hoftibus, etiam in Anglia, depugnavi. Nec pugnabo convitiis, aut infictis in te mendaciis, aut inanibus verborum difquiliis, à quibus merito femper abhorruì; fed Codice Bibliorum, ex antiquis Patribus, ex Conciliis & Conciliis, ex tuis ipfius verbis, tecum certabo. Et, quod caput efts, ipfa doctrina tua fundamenta, quantum in me erit, conabor concutere & factare. Idque faciam quatuor libris fequenti hoc ordine:

De Chrifto, fupremo Ecclefie capite ac Monarcha.

De Primatu Petri, Vicarij Chrifti.

De Primatu Pontificis, fuccefforis Petri.

De Epifcopis, Presbyteris, Monachis & Apoftatis.

7
LIBER PRIMUS.

*De Christo supremo Ecclesie capite
seu Monarcha.*

Hic partim convenimus, Marce
Antoni, partim discrepamus. In
eo convenimus, quod Christus
sit caput seu Monarcha Ecclesie.
Hoc enim disertè docet Apostolus Ephes. 1.
22. *Omnia subiecit sub pedibus ejus: & ipsum dedit
caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.*
Et cap. 4. 15. *Crescamus in illo per omnia, qui est ca-
put Christus.* Et cap. 5. 23. *Vir caput est mulieris,
sicut Christus caput est Ecclesia.* Et Coloss. 1. 18. *Et
ipse est caput corporis Ecclesia.* In his verò discre-
pamus: 1. An Christus ædificaverit Ecclesiam,
cujus ipse caput est. 2. Quando ceperit illius
esse caput. 3. An sit caput visibile. 4. Quod sit
officium ipsius, quatenus caput Ecclesie est.
5. An solus Christus sit caput Ecclesie. De
quibus tu ita statuis: 1. Ecclesiam non esse ædi-
ficatam à Christo, sed ab Apostolis. 2. Christum
cepisse esse caput Ecclesie post ascensionem.
3. Esse caput invisible. 4. Habere unum officium
invisibile; nullum visibile. 5. Nec aliud esse
caput Ecclesie, præter Christum. Itaque re-
sponsum Ecclesie esse quidem Monarchicum,
respectu Christi; non tamen respectu Petri
aut Pontificis. Quæ omnia seorsim
discutienda sunt.

CAPUT PRIMUM.

*An Ecclesia Christi ab ipso Christo
fundata & ædificata sit?*

1. **T**U negas, M. Antoni, L. 1. c. 1. n. 22. his
verbis: *Non est difficile in doctrina Catho-
lica defendere, Ecclesiam veram primitivam, post
Christi ascensum propriè suum ortum habuisse. Et
ibidem n. 23. Ecclesia Christi revera per Apostolos
fuit ædificata. post Christi ascensionem. Unde con-
sequenter dicis, ut postea videbimus, Christum
nunquam fuisse visibile caput Ecclesiæ, sed in-
visibile. Nam cum in terra visibilis apparuit,
nondum erat Ecclesia ædificata, ex tua opi-
nionè. Ergo tunc non potuit esse visibile illius
caput. Postea, quando cepit esse caput Eccle-
siæ, non amplius visibilis apparebat.*

2. Ego contra assero, Christum in hac vi-
ta fundasse & ædificasse suam Ecclesiam: post-
ea Apostolos eandem auxisse & propagasse.
Prior pars assertionis variis modis probari po-
test: 1. Quia Christus in hac vita instituit mi-
nistros Ecclesiæ, nempe duodecim Apostolos,
& septuaginta duos discipulos; quorum hi Pres-
byteri fuerunt, illi Episcopi. 2. In hac vita in-
stituit nova Sacramenta. 3. Instituit novum
Sacerdotium & Sacrificium. 4. Sancivit novas
leges Evangelicas. 5. Condidit novum Testa-
mentum, cujus ipse mediator est. 6. Hæc om-
nia perfecit & confirmavit per mortem in
cruce, cum dixit: *consummatum est.* Deinde
post

post resurrectionem, cum hinc discessurus esset, dixit Apostolis suis: *Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Et Petro seorsim: *Pasce oves meas.* Quid amplius requiri poterat ad fundandam & ædificandam Ecclesiam?

3. Accedit Auctoritas Augustini, Tract. 50. in Joannem, propè finem, ubi sic habet: *Secundum præsentiam majestatis semper habemus Christum: Secundum præsentiam carnis, rectè dictum est Discipulus: Me autem non semper habebitis. Habuit enim illum Ecclesia, secundum præsentiam carnis paucis diebus. Modo fide tenet; oculis non videt.* Hic supponit Augustinus, Ecclesiam fundatam jam fuisse, quando Christus in hac vita secundum carnem erat præsens. Et tu ipse alibi id fateris. Nam. lib. 1. cap. 1. n. 16. sic scribis: *Facile admittimus necessitatem ministrorum, quibus uti voluit Christus, etiam dum ipse mortalis in terris, in sua Ecclesia versabatur.* Et infra n. 19. *Dicimus Apostolos omnes immediate à Christo assumptos esse, ut essent operarij, & ministri ipsius viventis adhuc & regnantis: Et in fundanda Ecclesia coadiutores.* Quid clarius? Ais Ecclesiam in hac vita à Christo, tanquam principali Authore; à Apostolis, tanquam coadjutoribus, fundatam esse. Igitur tibi ipsi contradicis: quod & repè facturus es in sequentibus.

4. Sed tria objicis (lib. 1. cap. 1. n. 22. & 23.) primò illud Psal. 2. 8. *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam ter-*

minos terra. Nimirum postquam, astiterunt Reges terra, & Principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus. Quibus verbis promittitur Christo Ecclesia post mortem & passionem. Quo etiam pertinet illud Isaia 53. 11. Pro eo, quod laboravit anima ejus, videbit semen longævum, id est, Ecclesiam suam, te interprete.

5. Respondeo. Aliud est, Ecclesiam fundari & ædificari; aliud augeri & propagari, ut initio dixi. Fundata & ædificata est ante Ascensionem Christi, quando Ministri illius ordinati, Sacramenta instituta, & leges sancitæ sunt. Aucta & propagata, post Ascensionem Christi, quando per orbem diffusa est, & gentiles ad illam admissi sunt. Et hoc significatur illis verbis: *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terra.* Simile fuit de Synagoga. Nam illa quidem fundata & ædificata est prope montem Sina, quando Aaron, & filij ejus consecrati sunt Sacerdotes, quando Sacramenta & sacrificia Mosaica instituta, quando lex data, & Testamentum effusione sanguinis confirmatum est. Aucta verò & dilatata, post ingressum in terram promissionis, quando per Judæam, Samariam & Galilæam fuit dispersa, & quotidie plures in eam admissi.

6. Quod citas ex Isaia, sic legendum est: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, id est, si Christus fuerit mor-*

us pro peccato humani generis, videbit multos filios, quos sibi, tam ex Judæis, quam gentibus, per meritum suæ passionis & mortis, acquisiturus est. Quod etiam significatur verbis sequentibus, ubi Deus Pater de Christo loquens, ait: *Ideo dissipetiam ei plures, & fortium dividet spolia, pro eo, quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reatus est.* Neque hinc sequitur, Ecclesiam Christi post Ascensionem ab Apostolis fundatam esse. Solum sequitur, Ecclesiam sponsam Christi, quæ ab ipso fundata est, accessu temporis, habituram multos filios: qui cum antea fuissent spolia Dæmonum, postea liberandi essent ab illa servitute, & cum Christo regnaturi. (Vide Lucæ 11. 2.)

7. Secundò objicis, passim dici à Theologis, Ecclesiam de latere Christi fluxisse, id est, post passionem Christi fuisse inchoatam, ut tu interpretaris. Respondeo. Tibi probandum est, post Ascensionem Christi fuisse inchoatam. Hoc inde non probas, sed contrarium. Deinde malè interpretaris sententiam Theologorum. Nam illi nihil aliud dicunt, quàm Ecclesiam Christi, nõ propriè, sed symbolicè & meritoriè fluxisse, vel formatam esse ex latere Christi. Symbolicè quidem, quia ex latere Christi fluxerunt aqua & sanguis, quæ erant signa, vel symbola, significantia Baptismum & Eucharistiam, præcipua Ecclesiæ Sacramenta. Meritoriè verò, quia

Sacramenta Ecclesiæ omnem suam vim habent ex merito passionis & mortis Christi. ita Cyrillus l. 12. in Ioannem cap 39. Chrysostronus hom. 84. in Ioannem, Cornelius à Lapide in Commentario cap. 5. ad Ephesios vers. 20. & alij.

8. Tertiò objicis, Christum non dixisse, *super hanc petram ædifico*, sed *ædificabo Ecclesiã meam*, quod post ascensionem fecit per Apostolos, ut tu ais. Respondeo. Iterum tibi contradicis. Nam paulò ante dicebas, id factum esse in morte Christi, quando sanguis & aqua fluxerunt de ejus latere. Nunc dicis, factum esse post Ascensionem. At ego dico, tunc factum esse, quando Christus ordinavit Sacerdotes, instituit Sacramenta, sancivit leges, cõdidit testamentum, obtulit sacrificium.

9. Ad majorem explicationem, tria tempora distinguenda sunt. Primum, ante mortem Christi. Tunc simul viguit Synagoga vetus, & Ecclesia nova: Simul Baptismus & circumcisio: simul sacrificium Eucharistiæ, & sacrificia Mosaica: simul lex & Evangelium Alterum, in morte Christi. Tunc expiravit Synagoga cum suis ceremonijs, & sacrificijs: tunc velum Templi scissum est in duas partes: tunc lex Mosaica abrogata est. (Hoc docet Augustinus Epist. 19. ad Hieronymum, & Hieronymus ipse Epist. ad Augustinum, quæ est 11. inter Epistolas Augustini, & D. Thomas in 1. 2. q. 103. art. 3. ad 2. & alij passim.) Tertium, post mortem Christi. Tunc Synagoga sepulta est:
Tunc

ae ceremoniarum & sacrificia Mosaica, quae antè erant mortua, ceperunt foetere: vel Theologi loquuntur, ceperunt esse mortua. An autem id factum sit statim ac immediate post mortem Christi, an verò post solennem Evangelij promulgationem in die Pentecostes, verus controversia est. Hieronymus et priorem partem; Augustinus posteriorem. Itaque secundum Augustinum, à tempore mortis Christi, usque ad diem Pentecostes, erant quidem mortua sacrificia Mosaica, sed, erant abrogata, non erant utilia ad salutem, non habebant vim & energiam, quam ea habuerant: Sed tamen nondum erant mortifera, id est, nondum adferébant mortem spiritualem; adhuc poterant usurpari, sine peccato mortali. At post promulgatum Evangelium ceperunt mortiferum foetorem exhalare, qui ea tunc usurpasset, mortali peccato se intrinxisset.

Ex dictis (semota hac controversia in Hieronymum & Augustinum) sumo effigendum argumentum contra te, in hunc modum: Synagoga cum suis ceremonijs, sacrificijs & ritibus, expiravit in morte Christi, ut omnes cessarent, vel tunc orta erat Ecclesia cum suis Sacramentis, vel non erat. Si erat orta, falsum est, quod tu asseris, primùm ortam esse post Ascensionem Christi. Si non erat orta, necesse est, Judæos deterioris fuisse conditionis post mortem Christi, quàm antè erant. Antè habebant Synagogam, Sacerdotes,

sacrificia, quæ poterant illis prodesse. Postea, hæc omnia erant abrogata, & inutilia. Nec tamen aliunde poterant habere subsidium, si nulla erat Ecclesia nova, in qua essent novi sacerdotes, nova sacramenta, novum sacrificium.

II. Maneat igitur certum ac indubitatum, Ecclesiam à Christo ædificatam esse in hac vita. Sed tamen obiter notandum est, successivè, & non unico quasi instanti, ædificatam esse. Nam primò, electi sunt Apostoli & Discipuli, (Matth. 4.18.) Deinde, Baptismus præceptus est, Joan. 3.5. *Amen Amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non poterit introire in regnum Dei.* Postea, idem Baptismus usurpatus, Joann. 4.1. *Ut autem cognovit Jesus, quia audiverunt Pharisæi, quod Jesus plures Discipulos facit, & baptizat, quam Joannes (quanquam Jesus non baptizaret, sed Discipuli ejus) reliquit Judæam.* Tandem, in última cœnâ, Sacramentum, & sacrificium Eucharisticum institutum; & Apostoli Sacerdotes ordinati sunt. Denique, cruentum novi Testamenti sacrificium in ara crucis oblatum est: quo peracto, expirarunt omnia sacrificia Mosaica; quia non erant, nisi umbræ cruenti sacrificij crucis. Umbram autem, præsentem lumine, cessare necesse est. Postremò, post resurrectionem Christi, potestas absolvendi à peccatis data est omnibus Apostolis, & Petrus totius Ecclesiæ Pastor constitutus est, loco Christi (Joann. 21.

17.) Quæ autem postea contigerunt, pertinent ad alteram partem assertionis meæ, quæ jam sequitur. Igitur

12. Altera pars assertionis meæ est, Ecclesiam Christi, quæ ab ipso Christo fundata est, postea ab Apostolis auctam & propagatam esse. Quod etiam successivè factum est tribus modis. Primò, quia Apostoli, post acceptum Spiritum sanctum, solenniter promulgarunt Evangelium in Jerusalem, Act. 2. 17. Deinde, admiserunt gentiles ad fidem, & Ecclesiam Christi, Act. 10. 34. Denique, post multos annos, facta divisione, dispersi sunt per orbem terrarum, ut impleretur, quod dictum erat per Prophetam, Psal. 18. 5. *In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis verba eorū.* Et quod tunc factum est, etiam nunc fit. Nam & hoc tempore multi Apostolorum imitatores mittuntur in Indiam, Japoniam, & alias provincias, ut Ecclesia Christi nova semper accessione augeatur & propagetur.

13. Jam vides, Marce Antoni, in Ecclesiam Christi, primò quidem admissos esse Apostolos, Discipulos, & alios plures ex populo Judæorum, vivente adhuc Christo in terris. Deinde, etiam gentiles accessisse post Ascensionem Christi, & accessuros vsq; in finem mūdi. Et hoc constat ex Evangelio, ubi Christus ait, Joan. 10. 14. *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ.* Ergo jam tunc habebat oves in suo ovili, id est, in sua Ecclesia, nempe conversos ex populo Judæorum. Nam

de illis dicebat, *cognoscunt me mea.* Quod de Gentilibus intelligi non potest. Illi enim non cognoscebant Christum eo tempore, id est, non credebant in Christum, non erant in ovili Christi, non erant in Ecclesia. Erant tamé accessuri; quia mox sequitur: *Et alias oves habeo, qua non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere.* Q. D. Gentiles non sunt in meo ovili, sed in ovili falsorum Deorum. Ex quo tamen eos adducam in meum ovile, per prædicationem Apostolorū. Et tunc erit unum ovile Judæorum & Gentilium; & unus utrorumque Pastor.

CAPUT SECUNDUM.

Quando Christus ceperit esse caput Ecclesia?

1. **T**Uais cepisse post Ascensionem. Sic enim scribis, lib. 1. cap. 1 n. 3. *Regimen super Ecclesiam videtur Christo Domino à Patre donatum post illius glorificationem, & in cælos Ascensionem.* Et hoc necessariò sequitur, ex illo falso principio, quod jam refutatum est, Ecclesiam Christi, post Ascensionem ipsius ab Apostolis ædificatam esse. Nam si tunc primùm ædificata est, necesse est, Christum tunc primùm cepisse esse illius caput. Quod etiam confirmas ex Apostolo, Ephes. 1. 20. ubi de Deo Patre, & Christo sic ait: *Suscitans illum à mortuis, & constituens ad dextram suam in cælestibus, supra omnem principatum & potestatem. Et omnia subjecit*
sub

sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius. Unde concludis Christum factum esse caput Ecclesiæ, postquam constitutus est ad dextram Dei Patris. Ego contra oppono has duas conclusiones.

2. Prima conclusio. Christus cepit esse caput Ecclesiæ, cum adhuc esset in hac vita. Ratio est, quia ipse in hac vita fundavit Ecclesiam, ut jam probatum est: Ergo in hac vita cepit esse illius caput alioquin Ecclesia fuisset sine capite, quod est absurdum. Quod objicis ex Apostolo, intelligendum est eo sensu, quo illud, *Philip. 2. 8. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genua flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum: Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Quasi dicat: Christus per suam humilitatem & passionem hoc obtinuit à Patre, ut ascendens in cælum, exaltaretur super omnes creaturas, & ab omnibus palàm agnosceretur, quis & quantus esset. Hinc non sequitur, quod tunc primùm ceperit esse caput Ecclesiæ militantis, ut tu perperam contendis; sed quòd ceperit ab omnibus agnosci & honorari, tanquam caput omnis Ecclesiæ, cælestium, terrestrium & infernorum. Nam antea, cum versaretur in hac vita mortali, tametsi revera esset caput & fundator Ecclesiæ, habebatur tamen abjectus & contemptibilis, ut ipsemet fatetur per Prophetam,

phetam, Psal. 21. 6. *Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebi.* At in ipsa Ascensione cepit exaltari, & gloriosus apparere, & ab omnibus tanquam filius Dei adorari. Tunc dictum est, Psal. 23. 7. *Attollite portas principes vestras, & elevamini porta aeternales. & introibit Rex gloria. Quis est iste Rex gloria? Dominus fortis & potens: Dominus potens in praelio.* Nimirum, qui dixit: *Ego vici mundum.*

3. Habemus simile exemplum. Nā Christus ante Ascensionē, sedebat ad dextram Patris, id est, habebat æqualem cum Patre potētiā, gloriam & majestatem (ut explicant Athanasius, Basilus, Cyrillus, Chrysostronus, Damascenus, & alij apud Bellarminum l. 3. de Christo cap. 15.) Et tamen scriptura non aliter videtur loqui, quā si primū post Ascensionem cepisset sedere ad dextram Patris. Quare hoc? Quia in hac vita mortali latebat Christi potentia, gloria & majestas, & sub humana carne, tanquam sub vili pallio occultabatur. At per resurrectionem & Ascensionem, cepit fieri manifesta; non solū apud homines in terra, qui videbant illum ad cælum ascendentē (Act. 1. 9.) sed etiam apud Angelos in cælo, qui venerabundi & gratulabundi illum ad se venientem excipiebant. (Isa. 63. 1. & Philip. 2. 9.)

4. Secunda cōclusio. Christus in cælo nūc existens, adhuc manet caput Ecclesiæ militantis, & manebit usq; in finem mundi. Hoc concedis quidem, sed non eo sensu, quo nos. Nam ex tua opinione, Christus in cælo existēs, per
 se

se exercet omnia; quæ pertinent ad officium capitis, nec utitur operâ ullius ministri. At secundû Catholicos non exercet omnia per se, sed quædam per se, quædam per Vicarios & Ministros suos, quod e. 4. fusiùs explicandum est.

5. Disputant Scholastici: An Christus, sicut dicitur caput, sic etiam dici possit membrû Ecclesiæ? Aliqui negant, quia membrum videtur includere aliquam imperfectionem, quâ non includit caput; nempe participationem virtutis à toto corpore. Hoc autem non convenit Christo, quia nullam virtutem participat à corpore Ecclesiæ. Ita D. Thomas in 3. dist. 13. q. 2. art. 1. ad ultimum.

6. Alij utuntur hac distinctione: Ecclesia duobus modis spectari potest 1. Pro tota congregatione fideiû, excepto capite. 2. Pro eadem congregatione cum capite. Priori modo, sicut non est pars Ecclesiæ, ita nec membrum. Posteriori, & pars, & membrum, & caput. Ita Antisiodorensis & alij apud Vasquez. 3. p. tomo 1, disp. 48. c. 1. Et colligunt ex illo 1. Corint. 12. 27. *Vos estis corpus Christi, & membra de membro*, id est, de Christo, qui est principale membrum. Sed hæc quæstio parvi momenti est.

CAPUT TERTIUM.

An Christus sit caput Ecclesiæ visibile?

1. **T**Uais invisibile esse, non visibile. Et quidem duplici titulo. Primò, quia Chri-

stus cepit esse caput Ecclesiæ post Ascensionē. At post Ascensionem, respectu nostri, invisibilis est. Secundò, quia nullum habet actum capitis, nisi internum influxum gratiæ. At hic actus est etiam invisibilis. Verba tua paulo post citabo. Cur autem ita sentias, causa hæc est. Catholici, quando probant Pontificem esse Vicarium Christi, inter cætera, utuntur etiam hoc argumento: Christus dum esset in terris, erat visibile caput Ecclesiæ: Ergo post Ascensionem, quando desijt esse caput Ecclesiæ visibile, debuit esse aliud caput visibile, loco Christi; alioquin forma gubernandi Ecclesiam esset mutata, quod est absurdum. Hoc argumentum te pressit. Itaq; ne cogereris admittere, Pontificem esse visibile caput Ecclesiæ, negasti Christum fuisse visibile caput Ecclesiæ in terris. Quid Catholici sentiant, jam dicam.

2. Prima conclusio. Christus in hac vita existens, erat visibile caput Ecclesiæ. Quòd fuerit caput Ecclesiæ, suprà demonstratū est. Quòd fuerit visibile, dupliciter probo: Primò, quia visibiliter Ecclesiam ædificavit, instituendo nova Sacramenta, ordinando novos ministros & Sacerdotes, sanciendo novas leges, offerendo novum sacrificium in ara crucis. Secundò, quia eandem visibiliter gubernavit, docendo, monendo, increpando, corrigendo.

3. Hanc conclusionem, ut inconstans es, uno loco negas, altero admittis. Negas L. i. c. 1 n. 23. his verbis: *Christus nullum capitis visibilis unquam munus in sua Ecclesia exercuit*: Admittis

paulo post n. 24. cum ais: *Ego sanè in Christi visibili regimine ordinario, hæc tantùm observo: Sacramenta visibilia instituere, Ministros vocare & mittere, evangelizare, Ministros suos errantes corripere & increpare, legem explicare, eamq; à corruptelis vindicare. Alterius generis officia, à capite Christo, ut visibilis erat, proceduntia, ego certè non reperio.*

4. Si nunc quæram ex te, Antoni, an Christus in hac vita fuerit visibile caput Ecclesiæ, necne? Respondebis. Fuit, non fuit: Fuit, quia visibilia Sacramenta instituit, Ministros misit, legem explicavit. Non fuit, quia nullum visibilis capitis munus exercuit. Quæ est aperta contradictio. Quo vitio laborant omnes, qui ab Ecclesiæ unitate recedunt. Taceo, falsum esse, quod ais, Christum non exercuisse alia officia visibilis capitis, quàm quæ à te enumerata sunt. Nam non solum explicavit legem Mosaicam, (Matth. 5. 21.) sed etiam novas leges Evangelicas sancivit de Baptismo & Eucharistia. Ioann. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* & Ioann. 6. 53. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

5. Secunda Conclusio: Christus in cælo nunc existens, est caput Ecclesiæ invisibile; quia per se non gubernat Ecclesiã visibili modo, sicut antea fecerat; sed tantùm invisibili, per internum influxum gratiæ. Hoc concedis. Ex hac & præcedenti conclusione duo colli-

guntur: 1. Ecclesiam Christi eo tempore, quo Christus vixit in terris, fuisse gubernatā à visibili capite, nempe ab ipso Christo, qui tunc visibiliter præsens erat. 2. Eandem Ecclesiam nunc etiā debere gubernari à visibili capite: alioquin forma gubernationis esset mutata; & consequenter non esset nunc eadem Ecclesia, quæ tunc fuit. Sicut non censetur manere eadem Respublica, quando forma gubernandi, prius fuit Monarchica, & postea incipit esse Aristocratica. De quo plura dicam cap. 5.

CAPUT QUARTUM.

Quod sit officium Christi, quatenus est caput Ecclesiæ?

1. CERTUM est, Christum non propriè, sed metaphoricè esse caput Ecclesiæ. Itaque explicanda est metaphora seu similitudo, quæ est inter caput & corpus; itemque inter Christum & Ecclesiam.

2. Triâ spectari possunt in capite naturali, (ut notat D. Thomas 3. p. q. 8. art. 1.) nempe ordo, perfectio, & virtus. Ordo quidem, quia caput est primura seu supremum inter membra humani corporis. Perfectio autem, quia in capite vigent omnes sensus, tam interni, quàm externi. Virtus denique, quia caput sua virtute gubernat reliqua membra, & vim motivam ac sensitivam illis suppeditat.

3. Hæc triâ, servata proportione, conveniunt etiâ Christo, respectu Ecclesiæ. 1. Quia
Chri-

Christus est primus & supremus inter membra Ecclesiæ. 2. In Christo est plenitudo gratiæ. 3. Christus gubernat Ecclesiã, & habet vim influendi gratiam in membra Ecclesiæ, juxta illud Joann. 1. 16. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* De duobus prioribus non est inter nos contentio. De tertio est. Nam tu aliter sentis de gubernatione, quàm Catholici. Quod sic ostendo.

4. Duo sunt modi, quibus caput humanũ gubernat reliqua membra. Unus, per internũ influxum; qui in eo consistit, quòd ex capite, tanquam ex fonte seu principio derivantur spiritus sensitivi in reliqua membra. Unde fit, ut reliqua membra possint vitam conservare, & suas functiones exercere. Alter, per externam directionem; quæ in eo consistit, quòd caput per intellectum, voluntatem, visum, auditum, & alios sensus, qui in eo vigent, dirigat reliqua membra in externis actionibus, ne aberrarent: quo pacto per intellectum & voluntatem dirigit manus, ne quid illicitum committant: Et per visum dirigit pedes, ne in foveam incidant; & sic deinceps.

5. Hoc posito; quæstio est, An Christus, quatenus est caput Ecclesiæ, imitetur hos duos modos in gubernanda Ecclesia? Tu admittis priorem tantũ modum, qui est per internũ influxum gratiæ: negas posteriorem, qui est per externam directionem. Sic enim scribis L. 1. c. 1. n. 3. *Hoc regimen (Christi in Ecclesiã) totum est spirituale, nec eget corporali pra-*

sentia sed influxu interna gratia peragitur. Et ibidem n. 12. *Totum ipsius regimē ab eo, ut à capite, divinis influxibus absolvitur.* Et iterum n. 16. *Christus omnia munera capitis obit per se perfectissimè, in quibus nullis indiget ministris.* Hic excludis omnia externa munera, & cōsequenter externā gubernationē: Et solūm admittis internam, quæ est per influxum donorum gratiæ.

6. At Catholici admittunt utrumq̄; modum cum D. Thoma, loco citato. Et meritò. Nam uterque modus in scriptura tam clarè explicatur, ut nullus sit dubitandi locus. Prior quidem (qui est per influxum donorum gratiæ) Rom. 12. 3. *Unicuique sicut divisit Deus mensuram fidei.* & 1. Corinth. 12. 4. *Divisiones gratiarum sunt: idem autem spiritus.* Et Ephes. 4. 7. *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Et alibi sæpissimè.

7. Posterior verò (qui est per externam gubernationem) Ephes. 5. 22. *Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino quoniam vir est caput mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Ex quo loco constat, Christum esse caput Ecclesiæ, non solūm eo sensu, qui jam explicatus est; sed etiam eo sensu, quo vir est caput mulieris. At vir est caput mulieris per externam gubernationem. Tenetur enim mulier in externis actionibus se dirigere juxta imperium sui viri, qui est quasi Dominus ipsius. Unde etiam Sara, virum suum Abraham, vocavit Dominum suum, Gen. 18. 21. *Dominus, inquit, meus vetulus est.* Huc spectant sequentia testimonia, Gen. 3.

16. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.*
 Et 1. Corint. 13. 34. *Mulieres in Ecclesia taceant;*
non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse sicut
& lex dicit. (loquitur de Lege ex Genesi jam
 citata) Et 1. Timoth. 2. 11. *Mulier in silentio discat*
cum omni subiectione. Et 1. Petri 3. 1. *Similiter*
& mulieres sint subditæ viris suis.

8. Addo, nomen capitis, quando sumitur
 metaphoricè pro eo, qui gubernat, usitatè in
 scriptura fumi pro eo, qui gubernat per exter-
 nam directionem, ut 1. Reg. 15. 17. *Nonne cum*
parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel
factus es? loquitur de Saule, qui factus erat Rex.
 Et Isaia 7. 8. *Caput Damasci Rasin.* Et ibidè: *Ca-*
put Samaria filius Romelia. Ubi Rasin, qui erat
 Rex Syriæ, vocatur caput Damasci: Et Phacee,
 filius Romeliæ, qui erat Rex Israel, vocatur
 caput Samariæ. Utroque autem loco sumitur
 nomen capitis pro Rege, seu Principe, qui in
 externo regimine gubernat subditos. Et Isaia
 19. 15. *Non erit Ægypto opus, quòd faciat caput &*
caudam, id est, Ægyptij non habebunt Regem,
 cui subiecti sint. Et Jerem. 31. 7. *Exultate in lati-*
tia Jacob, & hinnite contra caput gentium, id est,
 contra Reges & Principes gentium.

9. Igitur Christus vocatur caput Eccle-
 siæ, non tantùm propter internum influxum
 gratiæ; sed etiam propter externam guberna-
 tionè, quo pacto vir est caput mulieris; & Saul
 caput populi Israel; & Rasin caput Damasci;
 & Phacee caput Samariæ; & uno verbo, Rex
 caput regni. Licet Regis gubernatio sit politi-

post ascensionem cepisse esse caput Ecclesie. Quæ duo non cohærent inter se. Deinde falsum est, quod ais in priori regula, Christum commisisse suis Ministris, quicquid ipse visibiliter in terra exercuit. Nam ipse visibiliter instituit Sacramenta, quod ministris suis non cõmisit. Similiter, è cõtrario falsum est, Christum nihil aliud cõmisisse suis discipulis, quàm quod ipse visibiliter exercuit. Nam commisit illis, ut irent in universum orbem, & baptizarent omnes gentes, quod ipse visibiliter non exercuit.

CAPUT QUINTUM.

An non sit aliud caput Ecclesie præter Christum?

1. **N**ON disputo jam speciatim de Petro vel Pontifice, de quibus postea dicturus sum, sed generatim inquirō, an sit aliquod visibile caput Ecclesie in hac vita, quod Christo sit subordinatum, & illius vicem gerat? Hic in uno consentis mecum, in altero discrepas. In eo consentis, quod nullum sit tale caput, si spectemus internum influxum gratiæ. Nam nullus hominum in hac vita est, qui per modum capitis possit internam gratiam nobis cõmunicare, sicut Christus communicat. In eo autem discrepas, quod ne quidem, quoad externam gubernationem, admittas ullum caput Ecclesie, loco Christi. Solum Christum absolutè vis esse caput Ecclesie; & præter illum,
- nul-

nullum alium, quicumque ille sit. In quo non solum dissentis à Catholicis, qui constanter docent, Pontificem esse caput Ecclesiæ, loco Christi; Sed etiam à Serenissimo Rege Angliæ (ad quem, tanquam ad Patronum confugisti) qui asserit Imperatorem in Imperio, & unumquemque Regem in suo regno, esse Primatem seu caput Ecclesiæ, quoad externam gubernationem.

2. Tribus argumentis te oppugnabo, quibus generatim ostendā, oportere esse aliquod caput visibile Ecclesiæ, præter Christum. Postea diluam objectiones, quas opponis. Primum sumitur ex analogia veteris ac novi testamenti hoc modo: Figura debet correspondere figurato; & umbra, seu rudis delineatio imaginis, debet correspondere ipsi imagini; alioquin illam non repræsentaret. At vetus Testamentum est figura seu umbra novi Testamenti: Ergo debet illi correspondere. Nemo dubitat. Jam vero Synagoga V. T. semper fuit gubernata ab uno visibili capite, nempe à summo Pontifice, cui reliqui omnes erāt subiecti: Ergo etiam Ecclesia N. T. debet hoc modo gubernari; alioquin non esset correspondentia & analogia inter hanc & illam.

3. Hic discursus nititur triplici fundamento. Primum est, quòd figura debeat correspondere figurato; & delineatio imaginis, ipsi imagini. Ad quod duo requiruntur. 1. Ut quicquid est in imagine, repræsentetur aliquo modo per delineationem imaginis: Et quicquid
est

re figurata, repræsentetur aliquo modo figuram, seu typum illius. 2. Ut delineatio imaginis, quâ talis, sit imperfectior ipsa imago, & figura seu typus alicujus rei, quâ talis, perfectior, quàm res ipsa, quæ per figuram significatur. Unde sequitur à fortiori, quòd quicquid perfectionis est in figura, debeat exactiori modo esse in re figurata. Et quicquid imperfectionis est in rudi delineatione imaginis, debet exactiori modo esse in ipsa imagine. Clarum est.

Alterum fundamentum est, quòd veteris Testamenti sit figura seu umbra Novi Testamenti. Et ea, quæ contigerunt in Veteri Testamento, sint figuræ seu umbræ eorum, quæ contingunt in Novo Testamento. Hoc præsertim docet Apostolus 1. Cor. 10. 11. & Heb. 10. 1. Inde speciatim sequitur, Synagogam Veteris Testamenti fuisse figuram seu umbram Ecclesiæ N. T. Moysen, Mediatorem V. T. (Gal. 3. 19.) fuisse typum seu umbram Christi Mediatoris N. T. (1. Cor. 10. 6. & 9. 15. & 12. 24.) quod frequenter Augustinus, præsertim l. 83. quæstionũ, c. 61. & serm. 49. de verbis Domini, cap. 6. n. 86. de tempore.

Tertium est, quòd Synagoga V. T. semper gubernata fuerit ab uno visibili capite seu archâ, nimirum à Pontifice, cui reliqui operantur subjecti. Hoc patet ex libris Exodici, & Deuteronomij. Ac præsertim Deuter. 17. 12. *Qui autem superbierit non obedire Sacerdotis imperio, morte morietur*

Hoc admittunt, non solum Catholici, sed etiam Lutherani & Calvinistæ. Sic enim loquuntur Magdeburgenses Centur. 1. l. 1. cap. 7. *In Ecclesia populi Iudaici unus tantum erat lege divina Sacerdos summus, quem omnes cogebantur agnoscere, eique parere.* Vide etiam Calvinum L. 4. Instit. cap. 6. §. 2.

6. Igitur ex his principijs sic concludo: Omnis perfectio, quæ est in figura vel umbra alicujus rei, debet expressius & exactius esse in re ipsa: Ergo omnis perfectio, quæ fuit in Synagoga V. T. debet expressius & exactius esse in Ecclesia N. T. At gubernari ab uno capite seu Monarcha, est quædam perfectio; & quidem major perfectio, quam gubernari à multis. Hæc autem perfectio fuit in Synagoga, ut ex dictis patet: Ergo exactiori modo debet esse in Ecclesia.

7. Quod autem major perfectio sit, gubernari ab uno capite, quam à multis; communis Doctorum sententia est, apud Card. Bellarminum L. 1. de Pontifice. cap. 2. Et confirmatur exemplo; quia perfectius est, mundum gubernari ab uno Deo, & regnum ab uno Rege, quam si aliter fieret. Nam ubi unus gubernat totam communitatem, ibi facilius servatur pax inter subditos; & major est consensus ad resistendum hosti; & regimen est magis stabile ac diuturnum. Ubi autem duo vel plures gubernant cum pari potestate, ibi facile oritur dissensio, tum inter gubernatores ipsos, quando quisque proprium sequitur iudicium; tum
etiam

etiam inter subditos, quorum aliqui sequuntur unam factionem, alij alteram: Ac proinde non potest esse tanta unio & concordia ad resistendum hosti; neque regimen esse tam stabile ac diuturnum, juxta illud Christi, Lucæ 11.17. *Omneregnum in seipso divisum desolabitur.* Et hoc docet quotidiana experiētia apud adversarios. Nam Lutherani & Calvinistæ, quia non agnoscunt unum caput suæ religionis, cui se subjiciant, dissecti sunt in varias partes, quæ nunquam componuntur.

8. Dices, Analogia, quæ est inter Synagogam & Ecclesiam, in eo consistit, quod sicut Synagoga habuit unum caput, nempe Pontificem; ita Ecclesia habeat unum caput, nempe Christum. Respondeo. Duplex analogia assignanda est: Una, quoad internum influxum gratiæ: altera, quoad externam gubernationem. Prior in eo consistit, quòd sicut Christus, per sua merita prævisa, contulit Synagogæ internam gratiam; ita per sua merita jam exhibitam, multo abundantiorē gratiam conferat Ecclesiæ. Posterior in eo, quòd sicut Moses, mediator veteris Testamenti, fuit primum sicut visibile Synagogæ, quoad externum regimen, ita Christus, Mediator Novi Testamenti, fuerit primum caput visibile Ecclesiæ, in interno regimine. Rursum, sicut post mortem Moysis, semper perseveravit visibile regimen Synagogæ; ita post Ascensionem Christi semper perseveret visibile regimen Ecclesiæ.

Ex utraque analogia colliguntur hæc:

1. Invisibile caput Synagogæ & Ecclesiæ, quoad internum influxum gratiæ, esse idem, nempe Christum. 2. Visibile caput Synagogæ & Ecclesiæ, quoad externam gubernationem, esse diversum. Nam visibile caput Synagogæ, ab initio fuit Moses, cui postea successerunt Pontifices legales. Visibile autem caput Ecclesiæ, ab initio fuit Christus, cujus locū postea supplevit Petrus, & ejus successores. 3. Moses fuisse figuram Christi, quoad externam gubernationem. Nam sicut Moses fuit Legislator, Mediator & Princeps in Veteri Testamento; ita Christus in novo. 4. Pontifices Veteris Testamenti fuisse typum seu figurā Pontificum Novi Testamenti. Nam sicut illi, in externo regimine, præsidebant toti populo Judæorum; ita hi, toti populo Christianorum.

10. Secundum Argumentum sumitur ex ijs scripturæ testimonijs, ubi Ecclesia comparatur cum exercitu bene ordinato. (Cant. 6. 3. *Pulchra es amica mea, suaviter & decora, sicut Jerusalem; terribilis, ut castrorum acies ordinata.*) Item cum regno (Dan. 2. 44. *Suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur.*) Item cum ovili (Joan. 10. 16. *Fiet unum ovile, & unus pastor*) Item cum domo (1. Timot. 3. 15. *Ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi.*) Item cum humano corpore (1. Corinth. 12. *Sicut corpus unum est, & multa habet membra; ita & Christus.*) Si ita est, necessariò sequitur, sicut exercitus bene ordinatus regitur ab uno Imperatore; regnum ab

o Rege; ovile ab uno Pastore; domus ab
 Patrefamilias corpus humanum ab uno
 re; ita etiam Ecclesiam gubernari ab uno
 re. Nec satis est, si dicas, hunc unum Re-
 m esse Christum. Christus quidem Re-
 st, quoad internum influxum gratiæ, et
 absens sit; sed non potest esse, quoad ex-
 m gubernationem, quando absens est.
 alius debet esse illius loco. Quod patet
 taphoris jam allatis. Nam sicut in exer-
 uando procedit contra hostem, neces-
 ebet adesse unus supremus Dux, aut in
 osentia; aliquis illius Vicarius, qui omnia
 t, & cui omnes reliqui obediant; sic et-
 rvata proportione fieri debet in Eccle-
 io qui non erit unitas, sed divisio, schi-
 dissensio.

Exemplo rem declarabo. Sint in uno
 tu duo vel tres Imperatores cum pari
 ate: quorum unus decernat, pugnandū
 am hoste; alter, quiescēdum; tertius; fu-
 um; quid putas facturos milites? Alij cū
 ij cum alio conspirabunt. Tolletur uni-
 etur schisma; exercitus dissipabitur. Vis
 em? Sint in Ecclesia Christi, quæ unica
 iures Episcopi cum pari potestate, qui
 n in terra superiorem agnoscant; ut tu
 Unus eorum decernat, Ecclesiasticos
 obligari ad cœlibatum; alius contrarium
 t; tertius in dubio relinquat; quid hîc
 populus Christianus? quid Clerici in-
 es, qui Episcopis subjecti sunt? Distra-

hentur in varias sectas & dissidia. Quis rediget illos ad unitatem, si non est unus aliquis superior, cui omnes teneantur obtemperare? An tu ipse, Marce Antoni? At reliqui Episcopi non audient te unum: nec agnoscent te iudicem, sed parem. An illi potius? At neque tu illos agnosces, ut iudices, sed ut collegas, in æquali tecum potestate constitutos. Quis ergo? An generale Episcoporum Concilium? Sed quis illud sua autoritate indicet? Quis omnes Christiani orbis Episcopos ad cōcilium convocabit? Quis, si venire abnuant, legitimè compellet? Nemo, si omnes pares sunt. Sed veniant sanè. Quis concilio præsidebit? Quis sententiam, cui omnes acquiescere debeant, pronuntiabit? Certè, vel unus aliquis, vel plures, vel omnes simul, vel nullus. Si unus aliquis, vel plures, non parebis; alioqui, cur Pontifici, & multis alijs Episcopis illi adhærentibus non pares? cur refractarius es? Si omnes simul, quid si dissentiant? Si nullus, controversia non finietur. Nullum igitur in Ecclesia, si omnes pares sunt, remedium est. Nec tu aliud præter fugam, reperisti.

12. Tertium argumentum sumitur ex institutione Christi, hoc modo. Primū regimē, quod Christus in Ecclesia instituit, fuit visibile & Monarchicum, quoad externā gubernationē. Nā ipsemet Christus, ut supr. à ostensum est, etiam ex tua concessione (in qua tamen inconstans es) tanquam supremus caput & Monarcha, visibiliter suam Ecclesiam fundavit & guber-

gubernavit. Vel ergo post Ascensionem Christi, mansit visibile & monarchicum regimen, vel mutatum est. Si mansit, necesse est, Ecclesiam post Christi Ascensionem, semper gubernatam fuisse ab uno visibili Capite seu Monarcha, quod nos contendimus. Si mutatum est, planè sequitur, Ecclesiam ipsam mutatam esse, nec eandem nunc esse, quæ olim fuit. Sicut enim quælibet Respublica censetur mutari, teste Philosopho, quando modus, seu forma gubernandi mutatur; sic etiam de Ecclesia statuendum est. Atqui absurdum est dicere, Ecclesiam Christi mutatam esse: Ergo absurdum & illud, ex quo hoc sequitur.

13. Hoc argumento, quo usi sunt Nicolaus Sanderus, & Cardinalis Bellarminus, sentis to premi. Et conaris dupliciter occurrere. Primò us, semper mansisse eandem Ecclesiam, & eandem gubernandi formam. Quod declaras hac similitudine. Si Rex terrenus, peregrè proficiens, posset suis ministris animo & cõsilio adesse, eosq; singulis momentis instruere ac per eos totam regni gubernationem exercere, nõ minus, quàm si corpore præsens esset; certè in tali casu non indigeret Vicario, sed ipse per se diceretur gubernare suum regnum, sicut prius gubernabat, cum præsens erat. Nec ullo modo transferretur facta mutatio in gubernatione. At fit in Ecclesia. Nã Christus, tametsi post Ascensionem corpore absens sit, animo tamè actione præsens est: Et non minus instruit ministros suos, quàm olim, cum præsens esset.

14. Hæc responsio non valet. Primò, quia falsum est, in tali casu, quem tu fingis, non mutari formam gubernandi. Nam prior forma est visibilis & externa: posterior invisibilis & interna. In priori, Rex per externam vocem & directionem gubernat Ministros & subditos: in posteriori, per internam inspirationē. Quæ duæ formæ valdè inter se discrepant. Nam subditi in priori, si oriatur aliqua controversia, possunt ad suum Regem visibiliter recurrere, & clarè ipsius sententiam audire. In posteriori tenentur manere suspensi; quia Ministri Regis nihil aliud possunt litigantibus respondere, quàm se, per internam inspirationē humanam, scire mentem Regis absentis; quod non sufficit ad tollendas controversias. Imò, meritò possent subditi dubitare, an Ministri Regis non sint malitiosi; & fingant se scire, quod nesciunt. Secundò, falsum quoque est, Christum absentem (sublato Vicario visibili, qui ipsius loco sit) non minus instruere suos ministros, quàm si præsens esset. Nam si præsens esset, clarè & rotundè diceret, vel M. Antonium errare in doctrina de cœlibatu; vel certè alios Episcopos, qui ab eo dissentiunt. At nunc, cùm absens est, hoc non facit. Aut, si facit, quærò ex te, an te solum instruat, an alios solum Episcopos, an utrosq;? Si te solum, Monarcha es, quia solus. Si alios solos, teneris illos audire. Si utrosque, cur dissentitis? *Non est dissensionis Deus, sed pacis.*

15. Dixi, *sublato Vicario visibili.* Nam illo ad-

ſo (ſicut nos illum admittimus) fatemur
 ſum abſentem non minus inſtruere mi-
 os ſuos, quàm ſi præſens eſſet. Non qui-
 immediatè per ſe, ſed mediante ſuo Vi-
 , quem in terris habet. Nam per illum ita
 it Miniſtros ſuos, ut in doctrina errare
 poſſint, ſi ipſius ſententiam ſequantur.
 ſenſu ſcribit D. Hieronymus, epiſt. 8. ad
 etriadem cap. 9. *Illud te pio charitatis affe-
 monendam puto, ut ſancti Innocenti, qui A-
 x cathedra ſucceſſor eſt, teneas fidem, ne pe-
 am, quamvis tibi prudens callidaq; videaris,
 nam recipias.*

Videbaſ hanc tuam reſponſionẽ non
 tere: ideoq; aliam adhibes, quæ priorem
 it. Aiſ, Eccleſiam Chriſti ædificatam eſſe
 Chriſti Aſcenſionem, & ab eo tempore,
 er manſiſſe eandem formam gubernan-
 hriſtum ſemper fuiſſe illius Monarcham
 put inviſibile, per internam directionẽ:
 uam viſibile, per externam gubernatio-

Sed hoc figmentum c. 1. ſatis fuſè refu-
 n eſt. Nunc ſolum addo hoc dilemma.
 Chriſtus ab initio rexit ſuam Eccleſiam
 liter, vel non. Si rexit viſibiliter, falſa eſt
 rior tua reſponſio. Si non rexit viſibili-
 anis eſt prior.

Multa objicis (lib. 1. c. 1. n. 2. & ſequen-
) quorum aliqua jam refutata ſunt; reli-
 ic refutanda. Primò objicis illud Rom.
*Multi unum corpus ſumus in Chriſto; ſinguli
 alter alterius membra.* Ubi Apoſtolus (ut

tu argumentaris) nullum aliud caput agnoscit, nisi Christum: Et inter membra corporis, non minus includit Petrum, quàm alios fideles. Inò omnes fideles vult esse membra, non solum respectu Christi, sed etiam respectu ipsorum inter se. Quod probas ex illis verbis, *Singuli autem alter alterius membra*. Igitur & Petrus, & Pontifex sunt membra corporis Ecclesiæ; non solum, si conferatur cum Christo, sed etiam si conferantur cum alijs fidelibus. Non sunt ergo caput Ecclesiæ. Respõdeo, Apostolus disertè ibi loquitur de Christo, quatenus est caput Ecclesiæ per internum influxum donorum gratiæ: Et sic verum est, omnes fideles, etiam Petrum & Pontificem, esse membra, nõ caput. Omnes enim accipiunt gratiam à Christo, tanquam à capite: nullus à Petro vel Pontifice. Si autem sermo sit de Christo, quatenus est caput Ecclesiæ per externam gubernationem, tunc non solum ipse, sed etiam Petrus est caput: ille quidem primarium, & propria virtute; hic verò secundarium, & virtute ab illo participata.

18. Dices, Ergo Ecclesia erit biceps, quia habebit duo capita. Respondeo. Nihil hinc novum. Nam & Regnum Angliæ, posset hoc sensu, esse biceps, si Rex peregrè proficiscens, relinqueret domi Vicarium, qui tantisper Regnum administraret. Et de factò, Regnũ Lusitaniæ biceps est, quia Regem absentem habet, & Proregem præsentem: Utrunque, ut caput in externo regimine; sed alterum alteri sub-

bordinatum Idem dico de Ecclesia. Biceps est, quia habet duo capita, primarium & secundarium. Accipe aliud exemplum ex Apostolo, Ephes. 5. 23. *Vir, inquit, caput est mulieris.* At mulier præter virum, qui caput ipsius est, habet etiam naturale caput in suo corpore. Igitur biceps est. Et tu ipse, M. Antoni, tria habes capita. Unum in tuo corpore, naturale: alterum in directione spirituali, Christum: tertium in directione politica, Regem Angliæ, Nec ullum horum negare audes. Triceps igitur es, Non miraris?

19. Secundò objicis. Sicut caput & reliqua membra hominis, constituunt unum integrum corpus naturale; ita Christus & Ecclesia constituunt unum integrum corpus mysticū, quod conflatum est ex capite & membris, (1. Corinth. 12.) Ergo omnes, præter Christum, qui caput est, sunt membra corporis Ecclesiæ: Ergo nullus, præter Christum, est caput Ecclesiæ Respondeo. Hæc objectio solvitur eodem modo, quo prior. Nam caput potest dupliciter conferri cum membris. Primò, quoad internum influxum, qui procedit à capite in reliqua membra: Et sic unius corporis unum est caput. Secundò, quoad externum regimē: Et sic unius corporis possunt esse duo capita. Quo pacto corpus mulieris habet unum caput, à quo recipit influxum spirituum sensitivorum: habet duo, à quibus regitur in externis actionibus. Nam & à proprio capite naturali, & à viro, qui caput ipsius morale est, gu-

bernatur. Idem est de Ecclesia. Habet unum caput, quoad influxum gratiæ: habet duo, quoad externam gubernationem, quorum unum supplet vices alterius. Et priori modo, solus Christus est caput; reliqui omnes sunt membra: posteriori, non solum Christus, sed etiam Petrus est caput; qui tamen priori modo erat membrum, & non caput.

20. Quando ergo objicis ex Apostolo, quod Christus & Ecclesia constituent unum integrum corpus mysticum, quod ex capite & membris conflatum est; hoc intelligi debet priori sensu. Nam Apostolus loco a te citato, disertè loquitur de Christo, quatenus est caput Ecclesiæ, quoad internam divisionem donorum gratiæ, ut in textu patet. Et sic concedo, ut jam antè concessi, omnes, præter Christum, esse membra Ecclesiæ: Et nullum, præter Christum, esse caput Ecclesiæ. Quod si similem objectionem facias de Christo, quatenus est caput Ecclesiæ per externam gubernationem; primò quidem, te ipsum oppugnabis, quia tu negas Christum esse ejusmodi caput. Deinde facillimè dissolvetur objectio ex nostra parte. Nam Christus cum suo Vicario erit Caput: reliqui omnes, membra. Sicut fit in regno Lusitaniæ. Rex cum suo Prorege est caput regni: alij membra.

21. Tertio objicis. Patres non agnoscunt ullum caput Ecclesiæ, nisi Christum, ut Augustinus lib. de Unitate Ecclesiæ, cap. 2. & 4. & Tract. 108. in Joannem, & lib. de Pastoribus, cap.

cap. 13. Gregorius in Psal. 5. pœnitentialem, & lib. 4. epist. 38. & Chrysoftomus hom. 11. in Epist. ad Ephesios. Et probant ex illo Eph. 4. 15. *Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in adificationem sui in charitate.* Respondeo. Eadem est solutio. Nam Apostolus loquitur de Capite Ecclesiæ, quod internam gratiam influit in alia membra. Et tale Caput est solus Christus. Idem docent Patres à te citati. Non negant tamen, quin præter Christum sit aliud Caput visibile, quod in externo regimine gubernat Ecclesiam. Imò expresse affirmant, ut sequenti libro cap. 4. videbimus.

22. Quartò objicis. Christus est sacerdos in æternum, ut passim docet scriptura, (Pl. 109. 4. & Heb. 7. 17.) *Quid ergo necesse est, inquis, dare illi Vicarium, vel successorem in terris? Cur summum hic Pontificem quarimus, si Christus Sacerdos & Pontif. x. noster sempiternum habet sacerdotiũ, & Pontificatum sempiternum?* Respondeo. Si ex eo præcisè, quòd Christus dicatur esse Sacerdos in æternum, contendis probare, nullum esse Pontificem, nisi Christum, poteris similiter probare, nullum esse Sacerdotè, nisi Christum. Ubi ergo tuum sacerdotium? Ubi tuus Episcopatus? Sed ad rem. Apostolus loco citato ostendit Christum, qui est Sacerdos & Põtifex Novi Testamenti, dupliciter differre à

Sacerdote & Pontifice Veteris Testamenti.

1. Quia Pontifex Veteris Testamenti erat mortal; Christus post Resurrectionem, immortalis. 2. Pontifex Veteris Testamenti, quando moriebatur, indigebat Successore; Christus, quia non moritur, non indiget Successore. Neque nos Catholici, ut tu invidiosè fingis, damus illi Successorem, sed Vicarium & Ministrum. Quæ duo valdè distinguuntur. Nam successor, succedit cum pari potestate; ut successor Regis in regno, successor Imperatoris in Imperio, successor Aaronis in sacerdotio legali. Nemo autem succedit Christo cum pari potestate. At Vicarius aut minister non habet parem potestatem cum eo, cujus Vicarius aut minister est, sed delegatam. Sicut ergo nõ pugnat, Christum habere Sacerdotes, tanquam Ministros in oblatione sacrificij Eucharistia, ita non pugnat, habere Ministros & Vicarios in externa Ecclesiæ gubernatione. Inter hos ministros unus supremus est, qui dicitur Pontifex. Quid hîc mali est? Nihil penitus.


23. Ex his tuis objectionibus propono hoc dilemma: Vel aliquid probant, vel nihil. Si nihil, frustra à te adferuntur. Si aliquid, æquè procedunt de Rege, ac de Pontifice. Si ergo convincunt Pontificẽ non esse caput Ecclesiæ, eo quòd solus Christus sit Caput Ecclesiæ; etiam convincunt Regem non esse Caput Ecclesiæ, propter eandem causam. Si autem hoc convincunt, jam iterum tibi contradicis. Una pars contradictionis est hæc: Solus Christus, & nemo

nemo præter Christum, est Caput Ecclesiæ. Altera est hæc: Non solus Christus, sed etiam quilibet Rex in suo regno, est Caput Ecclesiæ. Priorem habes in objectionibus jam allatis. Posteriolem lib. 1. cap. 12. n. 43. his verbis: *In quolibet regno. Rex potest merito, in bono sensu Catholico, dici esse Caput, id est, supremus gubernator Ecclesia totius regni sui.* Quod tamen negant Tookerus & Burhillus Theologi Anglicani. Vide, quid illis in Anglia respondere debeas.

24. Hæc generatim dicta sint de Capite Ecclesiæ. Ex quibus constat, Christum esse caput Ecclesiæ, tam visibile, quàm invisibile. Visible quidem, quia vel per se, vel per Vicarium suum visibiliter gubernat Ecclesiam. Invisible, quia per internum influxum fidei, spei, charitatis, & aliorum donorum spiritualium invisibiliter vivificat & vegetat membra Ecclesiæ.

Deinceps speciatim quærendum est, an Petrus fuerit visibile caput Ecclesiæ, præ alijs Apostolis,

De Republica Ecclesiastica
LIBER SECUNDUS
DE PRIMATU
PETRI.

1.  *H*æc tria, ut nosti, *M. Antoni*, pro eodem usurpari solent: 1. Petrus est visibile caput totius Ecclesie, loco Christi. 2. Petrus est Vicarius Christi in regimine totius Ecclesie. 3. Petrus habet Primatum totius Ecclesie. Quæ omnia bilem tibi movent: & velles sublata esse, ne cogaris Pontificem, Petri Successorem, pro tali agnoscere. Itaque sic statuis. 1. Nullum esse caput Ecclesie, præter Christum. 2. Spiritum sanctum proprie esse Vicarium Christi in regimine Ecclesie, non Petrum. 3. Petrum non habere Primatum Ecclesie. Ne tamè planè videaris exorbitare, tribuis illi aliquem Primatum: non illum, quem nos illi tribuimus, sed alium, qui à te confectus est. Nos dicimus, Petrum habere Primatum Ecclesiastica potestatis & jurisdictionis. Tu dicis, habere Primatum atatis, vocationis & fervoris. Nec alium agnoscis. Et omnia argumenta, quæ à nostris adferuntur ex Scriptura, Patribus, Conciliis, & Canonibus, pro Primatu Petri, putas per Primatum à te confectum, dissolvi, vel saltè eludi posse. Primatus autem iste, te interprete, in eo consistit, quòd Petrus omnes Apostolos præcesserit atate, vocatione ad Apostolatam, & fervore Charitatis.

2. De primo puncto jam dictum est: & clarè demonstratum, aliud caput visibile, præter Christum, admitti oportere. De reliquis duobus hic agendum, hoc ordine. 1. Demonstrandum, Spiritum san-

ctum

*Etum non esse propriè Vicarium Christi, in regimine Ecclesia, sed Petrum cum suis successoribus. 2. Refellendus est Primatus Petri, quem tu fingis. 3. A-
struendus verus Primatus ex Scriptura, Patribus,
& aliunde. 4. Diluenda objectiones contraria.*

CAPUT PRIMUM.

*Quod Spiritus sanctus propriè non sit
Vicarius Christi.*

1. **T**U quidem, lib. 1. cap. 4. n. 2. disertè asse-
ris, non Petrum, sed Spiritum sanctum
propriè esse Vicarium Christi in Regimine Ec-
clesiæ, sed Theologi Parisienses hanc tuam as-
sertionem cèsent esse erroneam, periculofam,
& hæresin Macedonij expressè redolentem.
Et sic est. Nam Vicarius, propriè loquendo, (sic-
ut tu loqueris) minor seu inferior est eo, cujus
est Vicarius Si ergo asseris, Spiritum sanctum
propriè esse Vicarium Christi, sicut revera as-
seris; consequenter debes asserere, Spiritum
sanctum, esse minorem Christo. Hæc autem
est hæresis Macedoniana.

2. Quòd autem Vicarius, propriè loquē-
do, minor sit eo, cujus est Vicarius, certum est
ex communi hominum usu & conceptu; non
solum apud Catholicos, sed etiam apud Ad-
versarios. Nam quando Calvinus ait, Christū
esse Vicarium Dei Patris; Calvinistæ hoc in-
terpretantur de Christo, secundum humani-
tatem, non autem secundum Divinitatem: Ne-

4. Alterum; Vel Spiritus sanctus propriè est Vicarius Christi in externo & visibili regimine Ecclesiæ, vel in interno & invisibili. Nō prius, quia non gubernat Ecclesiam per se visibiliter, sicut Christus in hac vita gubernavit. Nec posterius, quia internum regimen Ecclesiæ consistit in interno influxu donorum gratiæ, ut tu ipse fateris. Hunc autem influxum præstat Christus, vel meritoriè, quatenus est homo: vel physicè & effectivè, quatenus est Deus, ut lib. 1. cap. 4. §. 9 dictum est. At Spiritus sanctus neutro modo potest esse ipsius Vicarius. Non priori, quia non meretur nobis gratiam. Imò, cum purus Deus sit, mereri non potest. Nec posteriori, quia tamen effectivè producat gratiam, tamen illa productio est cōmunis tribus personis, juxta axioma Theologorum: *Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa*. Ergo nulla causa est, cur in tali productione Spiritus sanctus sit potius Vicarius Filij, quàm Pater, aut Filius sit Vicarius Spiritus sancti.

5. Quod sic clariùs explico. Productio donorum gratiæ non procedit à Patre, quatenus Pater est; nec à Filio, quatenus Filius est; nec à Spiritu sancto, quatenus Spiritus sanctus est; sed procedit à Patre, Filio, & Spiritu sancto, quatenus sunt unus Deus. Itaque non sunt tria principia illius productionis, sed unum. At unum principium, quâ tale, nō potest dici propriè Vicarius sui ipsius. Ergo nec Spiritus sanctus, quatenus est Deus, potest propriè dici Vicarius Christi, quatenus ille similiter est Deus.

Deus. Nam uterque est unus & idem Deus.

6. Objicis illud Joan. 14. 26. *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis.* Et cap. 16. 7. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero mittam eum ad vos.* Hinc inferis, Spiritum sanctum missum esse, ut esset loco Christi, seu ut esset Vicarius Christi. Respondeo. Non rectè hoc inferis. Missus quidem est, ut doceret Apostolos; non tamen, ut propriè esset Christi Vicarius. Hoc satis clarè paulò antè ostensum est. Et tu ipse, ut soles esse incòstans, idem fateris lib. 1. cap. 1. n. 16. ubi de Christo, in cælo jam existente, sic scribis: *Omnia munera capitæ & Regis obit per se perfectissimè.* Certè, si omnia per se obit, non obit per Vicarium. Ecce in quantas angustias te conjicis.

7. Fortè urgebis illam particulam, *in nomine meo*, id est, ut sit Vicarius meus. Respondeo. Varia est explicatio illius particulæ. Prima, Pater mittet Spiritum sanctum, *in nomine meo*, id est, in gloriam nominis mei. Ita Theophylactus in illum locum. Et colligitur ex illò Joan. 16. 14. *Ille (Spiritus sanctus) me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Altera, in nomine meo, id est, propter meritum meum. Ita Toletus annotat. 26. in cap. 14. Joannis. Quo sensu etiam dictum est. Joan. 14. 13. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Tertia, in nomine meo, id est, ad opus vel negotium meum perficiendum. Ita Toletus ibidem.

dem. Duę priores explicationes nihil te juvāt. Circa tertiam notandum est, Christum multa per externam vocem dixisse Appstolis de sua passione, morte, resurrectione, & alijs myste-rijs, quę ipsi tunc non intelligebant (Lucę 18. 34. & alibi.) At postea, quando per internam vocem Spiritus sancti, illustrati sunt, ceperunt intelligere, & toti mundo promulgare. Et hoc est, quod ait Christus: *Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quaecunque dixerō vobis.* Gręcę est, *Quęcunque dixi vobis.* Sensus est: Quę à me externa voce dicta sunt, & à vobis non intellecta, intelligetis ex interna suggestione Spiritus sancti, qui à Patre mittendus est in nomine meo, id est, ad perficiendam doctrinam, quam ex me audistis. At hinc non sequitur, Spiritum sanctum propriè esse Vicariũ Christi (non enim est minor Christo) sed perfectiori modo docuisse Apostolos per internã suggestionem, quę ipsi audierant à Christo per externam vocem.

CAPUT SECUNDUM.

Refellitur Primatus Petri à Marco Antonio confictus.

1. **T**U fingis, Primatum Petri in eo consistere, quòd fuerit primus ætate, vocatione & fervore, inter omnes Apostolos. Sic enim scribis li. 1. cap. 5. n. 7. *Invenio ego Petrum*

Primatum aliquem, circa tamen Principatum potestativum, & jurisdictionalem, esse consecutum; nimirum ex aetate, ordine vocationis, amoris fervore, & propriis virtutibus. Et n. 18. Cur itaque Petrus multa, primaria quadam auctoritate, ageret aut diceret, in Primatū ipsius referunt Patres, quia nimirum primus erat aetate, vocatione, ac virtute. Et n. 19. Atque hunc solum Primatum convincunt, & non alium majorem, plurima divina scriptura & sanctorum Patrum loca, qua postea recensibimus. Et cap. 9 n. 1. in fine. Caput Apostolorum fuit Petrus, quia primus erat aetate, vocatione & dignitate; non auctoritate & jurisdictione. Et n. 2. Petrus & aetate, & vocatione, & familiaritate cum Christo, erat primus, & quasi Apostolici Collegii Decanus, Praeses & caput. Et n. 20. Erat primus aetate, primus in ordine Apostolorum, primus fervore & zelo.

2. Ego contra contendo. Primò, majorē illi Primatum deberi, qui cōsistit in potestate, & jurisdictione. Quod sequentibus capitibus demonstrandū est. Secundò, Primatū, quem tu fingis, partim incertum, partim falsum, partim insufficientem esse. Quod sic demonstro.

3. Primò, incertum est, an Petrus fuerit aetate senior, quàm alij. Nam multi putant Andream fuisse seniore, ut Epiphanius hæresi 51. Baronius tomo 1. Annalium, anno 31. §. 23. Lorinus in cap. 1. Act. 5. 13. Serarius in Tractatu de Apostolis, & plures alij. Tu quidem citas pro te Cassianum & Chrysostrum, sed eos citando, non efficis rem certam, quam ego incertam dixi. Quod tu ipse fateris his verbis:

Quis enim diem Nativitatis horum duorum fratrum notatum vidit? Quis interrogavit eorum parentes? Rectè. Si ergo incertum est, etiam te astipulante, an Petrus fuerit senior ætate, quã Andreas; certè Primatus ætatis, quem tu Petro tribuis, certus esse non potest. Et æquè promptum erit mihi asserere, Andream fuisse seniore, quàm tibi, Petrum fuisse seniore. Unde sequitur, te in arena, non in petra, Primatum Petri ædificare: ac proinde, non prudentem, sed stultum architectum esse (Matth. 7.22.)

4. Porro Cassianus, quem tu citas, tibi contrarius est. Tamen si enim asserat, Petrum ætate seniore esse; non tamen Primatum Petri ponit in ætate, sed in Principatu. Sic enim scribit lib. 3. de Incarnatione Domini cap. 12. *Interrogemus, nõ incipientem aliquem puerulum, cujus institutio rudis, sed summum illum, & inter Discipulos Discipulum, & inter Magistros Magistrum, qui Romana Ecclesia gubernaculum reges, sicut fidei habuit, ita & Sacerdotij Principatum. Dic nobis ergo; Princeps Apostolorum Petre, dic quemadmodum Ecclesia credere Deum debeant; Æquum est enim, ut doceas nos doctus à Domino, & aperias nobis januam, cujus clavem accepisti. Interroganti ergo Domino, quem eum crederent Discipuli, respondit primus Apostolorum Petrus, unus utique pro omnibus. Idem enim habuit unius responsio, quod habebat omnium fides. Sed primum decuit respondere, ut idem esset ordo responsionis qui erat honoris: & ipse antecederet confessione, qui antecedebas ætate. Hæc quidè postrema verba tu*

citasti, quia videbantur tibi patrocinari: Sed priora omisisti, quia apertè tibi contraria sunt. Nam ex illis constat, Primatum Petri, ex sententia Cassiani, non consistere in ætate, sed in sacerdotij Principatu.

5. Nec Chrysoſtomus à te citatus tibi favet. Nam & ille Primatum Petri non tribuit prærogativæ ætatis, sed potestatis & jurisdictionis, quod tu ipse conquereris lib. 1. cap. 9. n. 19. cum ais: *Chrysoſtomus plurimum inclinare videri poteſt in ſupremum Petri Principatum.* De quo plura cap. 4. & 6.

De Primatu vocationis.

JAM verò de Primatu vocationis sic scribis lib. 1. cap. 5. n. 10. *De ordine vocationis neminem habemus, qui sese nobis opponat. Omnes enim facile concedunt, ad Apostolatam primum omnium Petrum fuisse à Christo vocatū & admissum.* Quod confirmas ex Evangelio, Matth. 4. & Lucæ 5. sed triplex mendacium committis. Unum in assertione: Alterum in confirmatione: Tertiū in citatione Patrum. Quæ omnia constabunt ex ijs, quæ jam dicturus sum.

7. Triplex quasi vocatio distinguenda est. Prima, qua Andreas, Petrus, Philippus, & Nathanael, non quidem propriè vocati, sed tamen admissi sunt ad Christum, tanquam familiares auditores: non eo animo, ut cum ipso constanter manerēt; sed visuri, ubi habitaret, & quid diceret. Et in hac vocatione, vel poti⁹
ad-

admissione, Andreas præcessit Petrum, Philippum & Nathanaelem, ut expressè habetur, Joan. 1. 41. Et omnes Patres, te etiam consentiente, idem sentiunt.

8. Secūda, qua propriè vocati sunt à Christo, tanquam Discipuli cum illo permansuri. Et sic Petrus & Andreas simul, seu, eodē tempore vocati sunt: Et post illos Jacobus & Joannes simul. Matth. 4. 18. *Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piscatores) & ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo, relictis retibus, sequuti sunt eum. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus in navicula Zebedæo Patre eorum, reficientes retia sua: & vocavit eos. Illi autem statim, relictis retibus, & patre secuti sunt eum.* Ex hoc loco, quæ tu citas pro Primatu vocationis Petri, apertè colligitur, Petrū & Andream simul fuisse vocatos; & non prius Petrum quàm Andream. Itaq; falsò citas hoc testimonium pro Primatu Petri astruendo. Nec ullus Patrum in hac re tibi astipulatur.

9. Tertiã, qua propriè vocati sunt, tanquam Apostoli: vel, quod idem est, qua ex numero Discipulorum electi sunt ad Apostolatū, veluti ad altiorem gradum. Sic omnes duodecim simul, seu, eodē tempore, electi sunt. Lucæ 6. 13. *Et cum dies factus esset, vocavit Discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos no-*

*minavit. Sine dubio; eodem tēpore illos elegit. Et hoc sensu Patres dicunt, omnium Apostolorum electionem fuisse parem. Melchiasdes in Epist. ad Episcopos Campaniæ: Licet cū-
etorum Apostolorum par esset electio; Beato tamen Petro concessum est, ut aliis præmineret. Et Julius I. in Epist. ad Episcopos Orientales. Quoniam & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris, fuit quādam discretio potestatis: Et cum omnium par esset electio, uni tamen datū est, ut ceteris præmineret. Certè, hi duo Patres non ponunt præ-
eminentiam Petri in vocatione, ut tu facis; sed in discretione potestatis. Nam in vocatione volunt omnes Apostolos esse æquales.*

- 10.^o Vides ergo, Marce Antoni, nusquā Petrum ante omnes alios, prius tempore vocatum esse. ^c 1^o objicis, id factum esse, Lucæ 5. 10. ubi Christus in navicula Petri docens turbas, & faciens miraculum in captura piscium, primò vocavit Petrū, deinde Jacobū & Joannem: Et mox additur: *Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus sequuti sunt eum.* Respondeo. Hic locus nihil te juvat. Primò, quia tu conjungis hunc locum cum loco Matth. 4. quasi eadem historia utrobique, & apud Matthæum, & apud Lucam descripta sit. Si ita est, necessariò sequitur, non Petrū solum, sed Petrum & Andream simul, eodem tempore vocatos esse. Hoc enim expressè habet Matthæus, ut jam ante ostensum est. Quamvis ergo Lucas non exprimat nomen Andree, sed solum Petri, tamen quia Matthæus expressè ponit

nit

nit utriusque nomen, consequens est, utrumque eodem tempore vocatum esse, si eadem apud Lucam & Matthæum historia est. Si autem non est eadem (quod probabilius est) nihil penitus ex loco Lucæ convinces. Nam ibi non legimus, à Christo vocatos, sed viso miraculo captorum piscium, sponte eum secutos esse, ut bene advertit Augustinus lib. 2. de cōsensu Evangelistarum cap. 17. circa finem, & Maldonatus in cap. 4. Matthæi v. 18. Nec tamen secuti sunt, ut tu loqueris, *cum perfectā adhesionē ad latus Christi*; sed cum animo revertendi ad piscationem, ut loquitur B. Pater Ignatius in libello exercitiorum spiritualium, (quem utinam melius legis & observasses. Intelligis, quid velim.) Neq; obstant illa verba, *Relictis omnibus secuti sunt eum*; quia non significant perpetuam abdicationem rerum omnium (de qua loquitur Petrus Matth. 19. 27. *Eccē nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*) sed temporariam sequelam; ut sensus sit, *relictis omnibus*, id est, desertis tantisper navibus ac retibus, *sequuti sunt eum*. Quo sensu intelligitur etiam illud de muliere Samaritana Joann. 4. 28. *Reliquit ergo hydriam mulier, & abiit in civitatem, & dicit illis hominibus: Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quacūq; feci. nūquid ipse est Christus.* Vide Maldonatum in illum locum.

II. Quòd autem Patres interdum asserāt, Petrum fuisse primum in ordine Apostolorū, hoc eo sensu debet intelligi, quo illud Matth.

10.2. *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus. Ubi particula, Primus, non significat Petrum fuisse primum ordine vocationis, sed ordine dignitatis & eminentiæ. Sicut in simili exemplo explicat Augustinus, serm. 10. de verbis Domini, cap. 3. circa illud Apostoli Pauli 1. Timoth. 1. 15. Christus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere, quorum primus Ego sum. Sic enim loquitur: Ante Paulum non erant peccatores? Certe, vel ipse Adam ante omnes: & plena peccatoribus terra deleta diluvio. Et deinceps, quam multi? Unde ergo verum est, Ego primus sum? Primum se dixit, non peccatorum ordine, sed peccati magnitudine. Quomodo, inter Advocatos primus est iste, non quia plures annos habet, ex quo causas egit; sed quia, ex quo cepit, ceteros superavit. Idem dico de Petro. Primus est Apostolorum non annorum spacio, sed officij dignitate: non quia diutius vixit in Apostolatu sed quia, ex quo cepit, ceteros superavit. Et sic sentiunt Patres.*

12. Sed objicis, quosdam Patres aliter sentire, nempe, Petrum ordine temporis fuisse vocatum ante omnes alios Apostolos. Sunt autem hi Patres, quos allegas pro hac sententia: Epiphanius, Cyprianus, Clemens, Hilarius, Gregorius, Hieronymus, Augustinus, Cyrillus, Chrysostomus. Respondeo. Ut ostendas hos Patres pro te esse, duo tibi præstanda sunt. Primò; quod dicant Petrum, ordine temporis, ante alios vocatum esse. Secundò, quòd in eo

con-

constituant Primatum Petri, ut tu facis. Si in alterutro deficis, frustra laboras, Audiamus ergo, quid dicant Patres.

13. Ex Epiphanio, hæresi 51, citas hæc verba: *Occursus Andrea primò contigit; cum minor esset Petrus tempore ætatis. Postea enim rursus, quando perfecta renunciatio facta est, ipse fratrem suum præcessit.* Respondeo. Vel vera sunt, quæ hîc dicit Epiphanius, vel falsa. Si vera, jam verum est, Petrum ætate minorem esse, quam Andream, quod tu negas. Verum igitur negas. Si falsa, cur adducis? Fortè dicturus es, priorẽ partem, quæ tibi contraria est, falsam; posteriorem, quæ tibi favet, veram esse. Quid si ego è contrario dicam, hanc falsam, illam veram esse? Eodem jure hoc dixerim, quo tu illud. Sed non opus est, hoc effugio. Sic potiùs dicã. Posterior pars, quam tu urges, nihil te juvat. Primò, quia non asserit expressè, quod tu asseris, Petrum vocatum fuisse ad Apostolorum, ante Andream; sed Petrum in perfecta renunciatione præcessisse Andream. Quod commodè intelligi potest hoc sensu; Petrum externa voce, primum omnium professum esse perfectam renunciationem, cùm dixit: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Sicut etiam primus omnium, externa voce, confessus est fidem divinitatis Christi, cùm dixit: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Nec videtur aliter intelligi posse. Nam illa perfecta renunctio, de qua loquitur Epiphanius, non consistit in externa abdicatione rerum tēporalium quia

in illa Petrus non præcessit Andream, cum uterq; simul ac eodem tempore reliquerit sua retia, juxta illud, Matth. 4. 20. *At illi continuo, relictis retibus, secuti sunt eum.* Ergo debet consistere in sincera professione perfectæ renunciationis, de qua jam dictum est. At hinc non sequitur, quod tu vis. Non enim valet hæc cōsequentia: Petrus, inter Apostolos, primus omnium professus est fidem divinitatis Christi, & perfectam renunciationem rerum temporalium: Ergo primus omnium vocatus est ad Apostolatam.

14. Sed, etsi darem, primum omnium vocatum esse, ex sententia Epiphaniij, non ideo Epiphanius pro te esset. Nam tu contendis, Primatum Petri consistere in primatu vocationis, quod Epiphanius non vult. Sic enim post verba, à te citata, immediatè loquitur: *Insuper autem & in hoc Deus est, qui novit vocationes cordium, & scit, quis dignus sit primo loco locari; & elegit Petrum, ut Dux esset suorum discipulorum.* Ubi distinguit internam vocationem ab externa: & asserit, Petrum electum esse Duce[m] Apostolorum, non ideo, quia primus externâ vocatione à Christo vocatus est, (quæ est tua sententia) sed quia internâ cordis vocatione, se dignum præstitit, ut primum locum obtineret, & fieret Dux Apostolorum; quod tuæ sententiæ contrarium est.

15. Ex eodem Epiphanio in Ancorato citas hæc verba: *Ipse Dominus constituit Petrum primum Apostolorum.* Respondeo. Hoc ipsum est, quod

quod nos asserimus. Sed lôgè diversa sunt hæc duo: Christus constituit illum primum Apostolorum; & , Christus vocavit illum ad Apostolatam, antequam alios vocaret. Prius verum est; posterius falsum. Nam Christus vocavit omnes duodecim eodem tēpore ad Apostolatam; & postea ex ipsis elegit Petrum, ut ipse esset primus, seu Dux reliquorum.

16. Ex Cypriano, tract. ad Quirinum, citas hæc: *Petrus, quem primum Dominus elegit.* Respondeo. Eodem sensu potest intelligi Cyprianus, quo Epiphanius in Ancorato. Nempe, Petrum ex duodecim Apostolis à Christo electum esse, ut esset primus, seu Princeps aliorum. Sed esto; dicat Cyprianus, Petrum esse prius tempore electum ad Apostolatam, quàm alios; non ideo dicit, Primatum Petri in eo consistere. In quo autem consistat, ex sententia Cypriani, dicendum est, cap. 4.

17. Ex Clemente epist. 1. ad Jacobum fratrem Domini, citas hæc: *Petrus, qui fuit primitia electionis Domini, primus Apostolorum.* Respondeo. Fuit primus Apostolorum eo sensu, quo jam sæpe dictum est. Fuit primitiæ electionis Domini, quia Christus Dominus primum fructum electionis suæ percepit ex Apostolo Petro. Nam ille primus omnium confessus est divinitatem Christi; primus omnium dixit. *Ecce nos reliquimus omnia;* primus omnium promulgavit Evangelium. Quæ omnia fusiùs explicanda sunt infra, ubi de prærogativis Petri agendum est.

18. Ex Hilario in Matth. can. 7. citas hæc: *Petrus primus credidit, & Apostolatus est Princeps.* Respondeo. Nihil contra nos. Esto, primus crediderit, quia primus dixit, *Tu es Christus filius Dei viui*; an ideo primus ad Apostolatatum vocatus est? Non sequitur. Similiter, esto, ut Princeps Apostolatus; an ideo ante alios Apostolus factus est? Nec hoc sequitur. Est quidẽ ante alios factus Princeps Apostolorum; sed non est factus ante alios Apostolus.

19. Ex Gregorio lib. 2. super Ezechielem. homil. 8. citas hæc: *Non ad memoriam revocat, quod primus in Apostolatatum vocatus sit.* Respondeo. Gregorius ibi commendat humilitatem Petri, quod cum ipse esset caput & Princeps Apostolorum, tamen æquo animo passus sit, reprehendi se à Paulo, qui erat illius subditus. Itaque illa verba, *primus in Apostolatatum vocatus est*, non habent hunc sensum, *primus ad Apostolatatum vocatus est*; sed hunc potius, *in principem Apostolatus vocatus est*: vel, ad Principatum Apostolatus vocatus est. Quem sensum ibidem explicat his verbis: *Quatenus, qui primus orat in Apostolatus culmine, esset primus & in humilitate.* Et paulo post pergit: *Ecce, à minore suo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur. Non ad memoriam revocat, quod primus in Apostolatatum vocatus sit.* Ubi Paulum vocat minorem, respectu Petri: Et Petrum ait, primum in Apostolatatum vocatum esse, id est, primum esse in culmine Apostolatus, ut antè dixerat.

20. Ex Hieronymo Epist. 13. ad Paulinum, citas

citas hæc: *Paulus Apostolus novissimus in ordine, primus in meritis est.* Hinc ita concludis: Ergo è contrario sensu, quia Petrus fuit primus in ordine vocationis, hinc Primatum hunc ordinis est consequutus. Respondeo. Prius tibi probandum est, Petrum eo sensu fuisse primū in ordine vocationis, quo Paulus fuit novissimus. Concedo, Paulum fuisse novissimum, ratione temporis. Nego, Petrum fuisse primum, ratione temporis. Nondum hoc probasti. Ego ex Evangelio contrarium ostendi.

21. Ex Augustino serm. 47. de SS. Petro & Paulo, citas hæc: *Beatus Petrus, primus Apostolorum: Beatus Paulus, novissimus Apostolorum.* Et mox subdis ex tuo: *in quo ergo Paulus novissimus, in eo Petrus primus; nempe in ordine vocationis.* Respondeo. Nusquam invenio sermonem 47. de sanctis Petro & Paulo. Invenio quidem tres sermones de festo Apostolorum Petri & Pauli, nempe serm. 106. & 107. & 108. inter sermones de diversis: sed verba à te citata, non invenio inter se connexa, ut tu connectis; sed divisa. Nam initio sermonis 106. sic habet Augustinus: *Beatus Petrus Apostolorum primus.* Et postea serm. 108. circa finem, sic: *Ergo quid est Apostolus? Ipsum interroga. Ego sum, inquit, minimus Apostolorum.* At hinc non sequitur, eodem sensu Petrum esse primum, quo Paulus est minimus, aut contrà. Nam constat ex ipso Paulo, quo sensu ipse sit minimus, sic enim de se loquitur 1. Corint. 15, 9. *Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari*

cari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Ubi non vocat se minimum, id est, ultimum in ordine vocationis (de quo ordine tu loqueris) sed minimum, id est, indignissimum, propter sua peccata.

22. Ex Cyrillo lib. 4. in Joann. cap. 28. citas hæc: *Responsio ei committitur, quia ordine major erat.* Respondeo. Apertam injuriam facis Cyrillo. Tibi probandum est, Petrum fuisse majorem ordine temporis. Vel, prius tempore vocatum esse, quam reliquos Apostolos. Hoc non dicit Cyrillus. Non enim loquitur de ordine temporis, sed de ordine prælationis & prudentiæ. Verba ejus sunt hæc: *Respondit ergo Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? Per unum, qui præerat, omnes respondent.* Et paulo post: *Decet enim non omnes confuse, nec prosilientes imprudenter, quasi rapti uti oratione: Sed cedere iis, qui & consilio, & ordine, præpositi sunt.* Et statim subdit: *Opus igitur erat divinitus comprobata prudentia, soli responsionem committere illi, qui ordine major erat.* Vel, ut antè dicebat, *qui præerat.* Nam inter illos, qui præsunt, & illos, qui subditi sunt, est quidam ordo. Unde illi superiores appellantur; hi inferiores.

23. Ex Chrysofomo homil. 2. in Epist. ad Romanos, citas hæc: *Verum, ordinis duntaxat honos est verbum id, primum; neque enim superiores partes in hoc obtinet (Judæus supra Græcum) quod majorem justitiam acceperit; sed in hoc solum honoratur, quod primus eam acceperit.* Unde infer, quando Cyrillus dixit de Petro, *ordine major*

major erat, locutum esse de ordine temporis, nō de ordine potestatis aut jurisdictionis. Respondeo. Frustra est. Jam ostendi, Cyrillū loqui de ordine prælationis & prudentiæ; nō de ordine temporis. Nec Chrysostronus explicat mentem Cyrilli, sed Apostoli, Rom. 1. 16. *Virtus enim Dei est, in salutem omni credenti, judæo primum & Græco.* Quærit enim, quid significet illa particula, *Primum*? Et respondet, significare ordinem temporis. Jam vide, M. Antoni, an valeat hæc consequentia, Chrysostronus dicit, judæum ordine temporis, non potestatis, præferri Græco, in susceptione fidei Evangelicæ: Ergo Cyrillus dicit, Petrum ordine temporis, non potestatis, præferri alijs Apostolis. Misere-ret me tui, si tam malè sani capitis es.

24. Ex eodem Chrysostrono hom. 9. citas hæc: *Petrum cum dico, petram nomino indebilem, crepidinem immobilem, Apostolum magnum, primum Discipulorum, primum vocatum & primum obedientem.* Respondeo. Hoc testimoniū videtur tibi aliquo modo patrocinari; reliqua nihil, ut ostensum est. Nam illæ duæ particule, *primum vocatum*, &, *primum obedientem*, insinuant Petrum ante alios vocatū fuisse à Christo, & ante alios vocanti Christo obtemperasse. Si hoc demus, illud quidem sequitur, Petrum ex sententia Chrysostroni, habere prærogativam vocationis, ratione temporis. At non sequitur, quod tibi probandum est, Primatum Petri, ex sententia Chrysostroni, consistere in illa prærogativa, excludendo Prima-
tum

tum potestatis & jurisdictionis. Imò hunc Primatum vel maximè agnoscit Chrysoftomus, ut cap. 4. videbimus.

25. Sed necesse non est, ut prædictas particulas accipiamus eo sensu, quo tu accipis. Nam idem Chrysoftomus alibi, cùm ex professo agit de vocatione Petri, disertè ait, Petrum & Andream simul vocatos esse: & illos duos fuisse primos ordine vocationis, respectu aliorum Apostolorum: non autem solum Petrum fuisse primum, respectu Andreæ & reliquorum. Sic enim loquitur hom. 14. in Matthæum: *Perpende verò & fidem & obedientiam vocatorum (Petri & Andreæ) & cognosces, quàm dulcis sit piscatio: siquidem in medio ipsius operis constituti, cùm illum audissent jubentē, nihil distulerunt; nihil omnino cunctati sunt. Non dixerunt, Revertemur domum, loquemur propinquis: sed cuncta illico relinquentes, fecerunt, quod Heliseus quoque sub Helia legitur impleisse.* Hic nihil discernit inter vocationem ac obedientiam Petri & Andreæ; sed ambos simul vocatos, simul obedientes fuisse ostendit. Et merito. Nam id clarè constat ex Evangelio Matth. 4. 18. *Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres Simonem & Andream: Et ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri pisces hominum. At illi continuo, relictis retibus, secuti sunt eum.* Ecce, simul visi; simul vocati, simul secuti. Et cùm nullus alius ante illos vocatus sit, necesse est, illos duos primos vocatos esse; etiam ex sententia Chrysoftomi. Ne hoc pugnat cum eo, quod ante dixit,

dixit, Petrum primum vocatum esse. Nam si ambo primi vocati sunt, respectu reliquorum; consequens est, Petrum esse unum ex duobus primis, & hoc sensu primum appellari posse. Quod etiam dico de Andrea. Nihil ergo proficis ex Chrysofomo. Si hanc meam explicationem non admittis, cogeris fateri, Chrysofomum sibi ipsi contradicere. Si ita est, cur non liceat mihi unam partem contradictionis sequi, sicut tu alteram secutus es,

De Primatu Charitatis.

26. **H**Actenus de Primatu vocationis, quem ostendi, fictitium esse. Sequitur Primatus Charitatis, de quo (lib. I. cap. 5 n. 14.) sic scribis: *Petrus primus merito dicitur quia ceteros virtute, & potissimum charitate erga Christum superavit.* Hanc posteriorem partem de excellentia charitatis probas dupliciter. Primò, quia Christus, qui erat conscius, dixit Petro, *Diligis me plus his?* Secundò, quia multa extant signa ferventis illius charitatis; ut quòd Petrus ambulaverit super aquas, ut citius ad Christum perveniret: quòd exerto gladio conatus sit Christum defendere: quòd ex eodem affectu Malchi auriculam amputaverit: quòd ex fervore dixerit, *etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*: quòd etiam dixerit, *Tu mihi lavas pedes?* quòd dixerit, *Absit à te Domine: Non erit tibi hoc*, id est, non morieris.

27. Respondeo. Tu pugnas tecum ipse,

E

ut

342

350

ut soles. Nam alibi asseris hæc duo. Primò, quòd Petrus habuerit suum Primatum, antequam illi dictum esset à Christo, *Tu es Petrus, & tibi dabo claves* (lib. I. cap. 5. n. 3. in fine.) Secundò, quòd reliqui Apostoli magnum honorem detulerint Petro, propter Primatum; & Petrus agnoverit se ab alijs propter Primatū honorari (cap. 9. n. 2. in fine.) Unde sequitur, Primatum Petri, & ipsi Petro, & alijs Apostolis fuisse cognitum. Quod certè de Primatu charitatis dici non potest. Vel enim loqueris de interno affectu charitatis, vel de externo signo, quo se prodit internus effectus. Si de interno affectu, is non potuit esse notus vel ipsi Petro, vel alijs Apostolis. Nam neque Petrus sciebat, quantus affectus charitatis esset in Joanne; nec Joannes, quantus esset in Petro. Et sic de cæteris. Verissimū enim est, quod Theologi dicunt: *Ecclesia non judicat de occultis*. Dices, Christus manifestavit internum Petri affectum cū dixit, *Diligis me plus his?* Respondeo. Hoc factum est post Resurrectionem: Ergo antea saltem non fuit manifestatus. Et tamen antea, ex tua opinione, habuit Petrus suum Primatum. Habuit enim, ut tu asseris, antequam ipsi dictum esset, *Tu es Petrus*.

28. Si autem loqueris de externo signo charitatis, nec sic quidem poterant reliqui Apostoli certò cognoscere, Petrum habere Primatum charitatis. Nam illa signa, quæ à te allata sunt, non erant sufficientia ad hoc demonstrandum. Ratio est, quia Christus ferè semper

per reprehendit Petrum, quando hujusmodi signa exhibuit. Quod patet inductione. Nam primò, quãdo ambulavit super aquas, dictum est illi, *Modicæ fidei, quare dubitasti?* (Matth. 14. 31.) Secundò, quando exerto gladio voluit Christum defendere, dictum est illi, *Converte gladium in locum suum. Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt* (Matth. 26. 51.) Tertio; quando dixit, *Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire: Et, etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*: responsum est illi; *Non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me.* (Lucæ 22. 34.) Quarto, quando dixit, *Tu mihi lavas pedes?* Et, *non la vabis mihi pedes in aeternum*: responsum est illi, *Si non la vero te non habebis partem mecum.* (Ioannis 13. 8.) Quintò, quando dixit, *absit à te Domine, non erit tibi hoc*: responsum est illi. *Vade post me Satana; scandalum es mihi; quia non sapiſ ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum.* (Matth. 16. 23.) Quomodo ergo reliqui Apostoli, qui hæc audiebant, poterant certò cognoscere, Petrum charitate alios omnes antecellere? Certe, ex hujusmodi increpationibus faciliùs erat suspicari, Petrũ haberẽ præposterum zelum, quam syncerum charitatis affectum; & magis reprehensione quàm laude, dignum esse.

29. Tacco, quod D. Thõmas in 1. partè quæst. 20. art. 4. ad 3. pro sua modestia non audeat definire hanc quæstionem; an Christus plus dilexerit Petrum; quàm Joannem? Item; an Petrus plus dilexerit Christum; quàm Jo-

annes? Adfert quidem varias authorum opiniones: Quorum alij asserunt, quod Petrus plus dilexerit Christum in membris; Et ideo illi Ecclesia commissa sit: Joannes plus dilexerit Christum in se ipso; & ideo mater Christi ipsi commendata sit. Alij, quòd Petrus plus dilexerit Christum, quantum ad fervorem & promptitudinem: Joannes verò plus, quoad familiaritatem: Alij, quòd incertum sit, uter plus dilexerit illum amore charitatis. Quid ipse: *presumptuosum, inquit, videtur hoc dijudicare, quia, ut dicitur Proverb 16. 2. Spirituum ponderator est Dominus, & non alius.*

30. Quid porrò dicturus es ad authoritatem Hieronymi lib. 1. contra Jovinianum, ubi asserit, & multis titulis probat, Joannem fuisse Christo chariorem, quàm Petrum? Quid ad Tertulliani, lib. de præscriptionib. cap. 22. ubi volens probare, Apostolos nihil ignorasse eorum, quæ ad salutem erant necessaria, sic scribit: *Latuit aliquid Petrum, adificandæ Ecclesiæ petram dictum, claves regni cælorum consecutum, & solvendi & alligandi in cælis & in terris potestatem? Latuit aliquid Joannem, dilectissimum Domino, pectori ejus incumbentem; quem, loco suo, filium Mariæ commendavit?* Quibus verbis tribuit Petro præminentiam potestatis; Joanni prærogativam dilectionis.

31. Sed esto; Petrus plus dilexerit Christum, quàm Joannes: quod non nego. An ideo sequitur, Primatum Petri, quem scriptura & Patres illi tribuunt, in illa dilectionis eminentia

tia consistere? Nunquam id probabis. At ego contrarium probabo, Primatum Petri consistere in prærogativa potestatis & jurisdictionis: idque ex scriptura, Patribus, Concilijs, aliunde, ut patebit in sequentibus capitibus. Nunc concludo hoc caput hac triplici assertionem. 1. Dubium est, an Petrus fuerit senior omnibus alijs Apostolis, & præsertim Andrea. Non igitur Primatus Petri in prærogativa ætatis certò constitui potest. 2. Falsum est, Petrum prius tempore vocatum esse ad Apostolatam, quam ceteros. Falsus igitur Primatus, qui hoc falso fundamento nititur. 3. Incertum est apud bonos authores, an Petrus plus dilexerit Christum quàm Joannes; Incertum igitur, an habuerit eminentiam charitatis. Et si certum id esset, quod non nego, non idcò certum, Primatum Petri in eminentia charitatis consistere.

CAPUT TERTIUM.

Verus Petri Primatus probatur ex Scriptura.

1. **M**ULTA sunt scripturæ testimonia, quibus probari solet, Petro commissam esse totius Ecclesiæ gubernationem à Christo. Ego unicum adducam, quo maximè utuntur Patres, nimirum illud Joan. 21. 17. *Pasce oves meas.* Ubi Christus committit Petro suas

oves pascendas. Et quia video te, M. Antoni, hoc testimonio valdè premi, & in varias contradictiones abire; singillatim explicanda sunt hæc quatuor: 1. An soli Petro dictum sit; *pascere oves meas?* 2. Quænam sint illæ oves? 3. Quid significet *pascere*? 4. An aliquid peculiare hoc loco concessum sit Petro, præ alijs Apostolis? in his punctis consistit tota difficultas.

2. Prima igitur quæstio est: An soli Petro dictum sit, *pascere oves meas?* Affirmant Catholici. Et probant primò ex antiquis patribus apud Bellarminum lib. 1. de Pontifice cap. 14. Deinde ex ipso textu. Nam illi dictum est, *pascere oves meas*, à quo Christus ter quæsit, *Simon Joannis diligis me plus his?* At hoc à solo Petro specialiter quæsit. Solum ergo Petro dictum est, *pascere oves meas*. Nec opus est, pluribus argumentis id probare, cum tu idem sentias lib. 1. cap. 8. n. 1. ubi ais: *Hoc loco Christum cum ipso met Petro loqui singulariter, & ei personaliter dicere, pascere oves meas, constituo tanquam certissimū.* Igitur in hoc puncto cōvenimus; etiam si postea incipias, tuo more, non nihil vacillare. Distinguendæ sunt tamen illæ duæ particulæ, quas fraudulentè connectis, *singulariter*, &, *personaliter*. Priorem cōcedo; posteriorem nego; Tametsi enim Christus, cum dixit, *pascere oves meas*, soli Petro singulariter id dixerit, excludendo reliquos Apostolos, quibus id nō dixit; non ideo concedendum est soli Petro personaliter dixisse, excludendo successores Petri; quia id falsum est. Non enim dixit Petro, ut
pri-

privatæ personæ, sed ut publicæ: sicut & illud:
ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.

3. Secunda quæstio est: Quænam oves commissæ sint Petro ad pascendum? Catholici docent, omnes Christi oves, id est, omnes fideles totius mundi illi commissos esse. Tui- dem asseris n. 5. his verbis: *Facile consentio sub verbo: Oves, fideles omnes indefinite totius mundi intelligi.* Rectè: sed minimè constans es. Nam paulo post, duo alia asseris, quæ & cum isto, & inter se pugnant. Unum est, omnes fideles intelligi, exceptis Apostolis. Sic enim scribis n. 6. *Illos tamen probare non possum, qui verbis illis, Pasce oves meas, Petro, etiam ipsorum Apostolorum curam censent à Christo fuisse commissam.* Alterū est, solos Judæos seu Israelitas intelligi. Hoc tradis n. 10. his verbis. *Tertiò dici potest, quod etiam paulò antè attigi, Petro singulariter Christum dicere, Pasce oves meas, id est, Israelitas, qui tunc soli erant Christi oves.*

4. Vide obsecro, M. Antoni, quàm vagus & inconstans sis. Nos constanter asserimus, omnes fideles etiam Apostolos, nomine ovium significari. Quod facile probari potest. Primò, autoritate Patrum, qui unanimi consensu id docent. Secundò, ex verbis Christi: Nam cum dixit, *Pasce oves meas*, hoc voluit dicere, pasce gregem meum, pasce Ecclesiam meam. At reliqui Apostoli, sine dubio, pertinebant ad gregem & Ecclesiam Christi. Tertiò, quia Christus non dixit: *Pasce has oves, aut illas*, sed sine ulla restrictione, *Pasce oves meas.* Ergo om-

mnes suas oves illi commisit; Ergo & Apostolos. Quod eleganter expressit S. Bernardus lib. 2. de consideratione ad Eugenium cap. 8. *Tues, inquit, cui claves tradite, cui oves credite sunt. Sunt quidem & alij cælij janitores, & gregum pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto & differentius utrunque præ cateris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: tibi universi crediti, uni unus: Nec modò ovium, sed & pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probem, quarum: Ex verbo Domini; Cui enim, non dico, Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolute & indiscretè tota commissa sunt oves? Si me amas Petre, Pasce oves meas. Quas? Illius vel illius populi, civitatis aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Plura Patrum testimonia citabo sequenti capite.*

5. *Objicis: Apostoli non indigebant Petro Pastore. Ad quid obsecro: Fortasse ad ipsorum confessiones audiendas? An ad psos docendos & instruendos? An ad corrigendos & puniendos? Respondeo. Vel ironice hæc quæris, vel seriò. Si ironicè, non es dignus responso: Si seriò, dicam seriò quod res est. Apostoli indigebant Petro Pastore in eum finem, ob quem Christus voluit illum esse Pastorem. Nimirum ut in Ecclesia esset unum Caput visibile, cui reliqui omnes obedirent; & sic servata & stabilita unitate capitis, tolleretur occasio schismatis & dissensionis, quæ facilè oritur in communitate, in*

te, in qua non est unum caput, cui cæteri adhæreant, & subiecti sint. An autem indiguerint pastore, propter confessionem, instructionem, aut punitionem, parùm ad rem facit. Nō enim necesse est, omnes & singulos subditos huiusmodi præsidij indigere. Utinam nullus indigeret. Utinam omnes à peccato, ignorantia, & reatu immunes essent. Non ideo delinerent esse subditi.

6. Tertia quæstio est: Quid significet illa vox *pascere*? Hic iterum inconstans es. Nam n. 4. ais: *posset aliquis nec fortassè immeritò ad solam pasturam, id est, prædicationem restringere.* Et citas illud Bernardi lib. 4. de consideratione c. 3. *Evangelizare, pascere est.* At n. 5. longè aliter: *Contineat, inquis, in se verbum pascendi quamcunque & quantamcunque auctoritatem & potestatem, non pugno.* Item, *non pugno, si verbo pascendi tota potestas Ecclesiastica claudatur.* Nihil certum fixumq; apud te est, mi homo. Dic rotundè & sine ambagibus, quid est *pascere*? Relinque illud, *fortasse*: illud, *non pugno*: illud, *quamcunque & quantamcunque.*

7. Nos (sine *fortasse*) asserimus, *pascere* idem esse, quod officium pastorale exercere. Nemo ambigit. Officium autem pastorale includit tres actus principales, ut ex scriptura patet. Primus est, pabulum præbere, & ad pascua ducere, Ezech. 34. 2. *Va pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos; Nonne greges à pastoribus pascentur?* Et Psal. 22. 1. *Domineus regit me* (Græcè est, *pascit me*) & *nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit.*

8. Secundus est, infirmas oves sanare, dispersas colligere, errantes reducere, contra lupos defendere, Ezech. 34. 5. *Dispersa sunt oves mea, eò quòd non esset pastor: & facta sunt in devorationem omnium bestiarum agri, & dispersa sunt. Erraverunt greges mei, & non erat, qui requireret. Et infra v. 15. Ego pascam oves meas, & ego accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat, requiram; & quod abjectum erat, reducam; & quod confractum erat, alligabo; & quod infirmum fuerat, consolidabo; & quod pingue & forte, custodiam.*

9. Tertius est, præesse, regere, gubernare, judicare, discernere, castigare. 2. Reg 5. 2. *Tu pasces populum meum Israel, id est, gubernabis, ut patet ex verbis sequentibus: Et tu eris Dux super Israel. Et Psal. 2. 9. Reges eos in virga ferrea.* Græcè est, ποιμανεὶς αὐτὰς, id est, pasces eos. Et Ezech. 34. 17. *Vos autem greges mei, hac dicit Dominus Deus: Ecce ego judico inter pecus & pecus arietum & hircorum. Et v. 20. Ecce ego ipse judico inter pecus pingue & macilentum.*

10. Unde sic concludo: Christus cùm dixit Petro, *Pasce oves meas*, commisit illi officium pastorale, respectu omnium Christianorum (nullum enim, ut dixi, excepit. Ergo dedit illi potestatem exercendi officium pastorale. Officium autem pastorale est, oves ad pascua ducere, infirmas curare, dispersas colligere, inter sanas & vitiosas judicare, contumaces cogere & ad ovile compellere, lupos arcere (quæ omnia, ut patet ex scripturis citatis, & potissimum

num ex Ezechiele, non tantum intelliguntur de pastore brutarum ovium, sed multo magis de Pastore fidelium. Ergo Petrus habuit potestatem hæc omnia præstandi, respectu omnium Christianorum. Potuit igitur, ratione officij pastoralis, ubique Evangelium prædicare, Sacramenta administrare, peccâtes corrigere, errantes reducere, inter veram & falsam doctrinam discernere, ad unitatem Ecclesiæ compellere, hostes arcere: sive per se, sive per alios sibi subordinatos. Et sic explicant antiqui Patres, quorum verba referemus sequenti capite.

II. Quarta quæstio est: An aliquid peculiare concessum sit Petro per illa verba, *Pasce oves meas*, præ alijs Apostolis? Tu ais, nihil præ alijs concessum illi esse: Alios non minus fuisse Pastores, quàm Petrum. Sic enim scribis lib. 1. cap. 8. n. 3. *Quamvis verissimum sit illa verba, Pasce oves meas, seorsim soli Petro fuisse dicta, etiã alijs Apostolis presentibus, nihilominus in solo Petro ea effectum suum habuisse, dici nullo modo potest. Nonne ipsemet Christus dedit quosdam quidẽ Apostolos, alios Doctores & Pastores? Non ergo solus Petrus Pastor. Et rursum n. 4. Prius omnibus Apostolis simul cum Petro dictum est à Christo: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: Et postea dictum est Petro, Pasce oves meas. Neque video, quomodo affirmari possit aliquid amplius dari Petro seorsim his verbis, quàm datum fuerit ceteris omnibus illis. Et iterum n. 5. Illud contendo, nullã verbo pascendi contineri potestatem, quã non melius & amplius,*

8. Secundus est, infirmas oves sanare, dispersas colligere, errantes reducere, contra lupos defendere, Ezech. 34. 5. *Dispersa sunt oves mea, eò quòd non esset pastor: & facta sunt in devorationem omnium bestiarum agri, & dispersa sunt. Erraverunt greges mei, & non erat, qui requireret. Et infra v. 15. Ego pascam oves meas, & ego accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat, requiram; & quod abjectum erat, reducam; & quod con fractum erat, alligabo; & quod infirmum fuerat, consolidabo; & quod pingue & forte, custodiam.*

9. Tertius est, præesse, regere, gubernare, judicare, discernere, castigare. 2. Reg 5. 2. *Tu pascas populum meum Israel, id est, gubernabis, ut patet ex verbis sequentibus: Et tu eris Dux super Israel. Et Psal. 2. 9. Reges eos in virga ferrea.* Græcè est, ποιμαίνεις αὐτούς, id est, pasces eos. Et Ezech. 34. 17. *Vos autem greges mei, hac dicit Dominus Deus: Ecce ego judico inter pecus & pecus arietum & hircorum. Et v. 20. Ecce ego ipse judico inter pecus pingue & macilentum.*

10. Unde sic concludo: Christus cùm dixit Petro, *Pasce oves meas*, commisit illi officiũ pastorale, respectu omnium Christianorum (nullum enim, ut dixi, excepit. Ergo dedit illi potestatem exercendi officium pastorale. Officium autem pastorale est, oves ad pascua ducere, infirmas curare, dispersas colligere, inter sanas & vitiosas judicare, contumaces cogere & ad ovile compellere, lupos arcere (quæ omnia, ut patet ex scripturis citatis, & potissimum

mum ex Ezechiele, non tantum intelliguntur de pastore brutarum ovium, sed multo magis de Pastore fidelium. Ergo Petrus habuit potestatem hæc omnia præstandi, respectu omnium Christianorum. Potuit igitur, ratione officij pastoralis, ubique Evangelium prædicare, Sacramenta administrare, peccantes corrigere, errantes reducere, inter veram & falsam doctrinam discernere, ad unitatem Ecclesiæ compellere, hostes arcere: sive per se, sive per alios sibi subordinatos. Et sic explicant antiqui Patres, quorum verba referemus sequenti capite.

II. Quarta quæstio est: An aliquid peculiare concessum sit Petro per illa verba, *Pasce oves meas*, præ alijs Apostolis? Tu ais, nihil præ alijs concessum illi esse: Alios non minus fuisse Pastores, quàm Petrum. Sic enim scribis lib. 1. cap. 8. n. 3. *Quamvis verissimum sint illa verba, Pasce oves meas, seorsim soli Petro fuisse dicta, etiã alijs Apostolis presentibus, nihilominus in solo Petro ea effectum suum habuisse, dici nullo modo potest. Nonne ipsemet Christus dedit quosdam quidẽ Apostolos, alios Doctores & Pastores? Non ergo solus Petrus Pastor. Et rursum n. 4. Prius omnibus Apostolis simul cum Petro dictum est à Christo: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: Et postea dictum est Petro, Pasce oves meas. Neque video, quomodo affirmari possit aliquid amplius dari Petro seorsim his verbis, quàm datum fuerit ceteris omnibus illis. Et iterum n. 5. Illud contendo, nullã verbo pascedi contineri potestatem, qua non melius & amplius,*

oves meas, id est, mane in collegio Apostolorum, & fac quod illi faciunt. Pro hac interpretatione citas Optatum Milevitanum & Augustinum. Sed malâ fide. Nam illi duo, sicut & alij Patres, multo aliter explicant hoc mysterium unitatis. Ajunt in eo consistere, quod Christus voluerit servare unitatem in Ecclesia, quæ vix servari potest, nisi constituto uno capite, cui reliqui omnes subjecti sint. Itaque Petrum à Christo constitutum esse, cum illi dictum est, *Pasce oves meas*, id est, governa Ecclesiam meam.

14. Audiamus Patres. Optatus lib. 2. contra Parmenianum, non longè à principio, sic scribit: *In qua (Romana cathedra) sedit omnium Apostolorum caput, Petrus. Unde & Cephias appellatus est. In qua una cathedra, unitas ab omnibus servaretur, ne cateri Apostoli singulas sibi quisq; defenderent: Ut jam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedram, alteram collocaret. Ergo cathedra unica est &c.*

15. Augustinus lib. de Pastorib. cap. 13. *Imo verò & in ipso Petro unitatem commendavit. Multi erant Apostoli, & uni dicitur, Pasce oves meas. Quod clarius explicat Hieronymus lib. i. contra Jovinianum, cum ait: Propterea interdum unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio. Et Cyprianus lib. de simplicitate Prælatorum: Petro post resurrectionem suam dicit, Pasce oves meas. Et quamvis Apostolis omnibus post Resurrectionem suam, parem potestatem tribuat, & dicat: Sicut me misit Pater, & ego*
mitto

mitto vos: Tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem, sua auctoritate disposuit. Hinc apparet, non sincerè, sed fraudulentè, à te citatos esse Patres, pro mysterio unitatis, quod commentus es.

16. Secundum mysterium sic explicas (ibidem n. 9. in fine) *Petro soli dictum est à Christo, Pasce oves meas, quia tum Petrus erat figura, & representabat omnes Ecclesie Prælatos; Et ut omnium procurator generalis omnium nomine accepit curam pastoralem.* Et producis Augustinum, lib. de Agone Christiano cap. 30. & alibi. Sed & tibi, & Augustino contrarius es. Tibi quidem, quia paulo antè dicebas, Christum ideo dixisse Petro, coram alijs Apostolis, *Pasce oves meas*, ut alij non excluderent eum à suo collegio propter peccatum negationis, sed scirent restitutum esse in suum locum. Hic dicis, ideo factum esse, quia Petrus representabat omnes Ecclesie Prælatos, & erat generalis Procurator, qui omnium nomine accipiebat curam pastoralem. Hæc inter se pugnant. Nam si Christus loquebatur cum Petro, tanquam cum privato reo, qui propter privatum peccatum excludendus erat à collegio Apostolorum; certè nõ loquebatur cum illo, tanquam cum generali Procuratore, qui omnium nomine curam pastoralem accipiebat. Non enim cohærent hæc duo: Petro tanquam privato reo dicitur, *Pasce oves meas*: Et, Petro tanquam generali Procuratori dicitur, *Pasce oves meas*. Similiter Augustino contrarius es. Nam ille, loco à te citato,

allè-

affetit, Petro, ut totam Ecclesiam repræsentanti, dictum esse, *Pasce*. Tu asseris lib. 1. cap. 8. n. 1. Petro *singulariter & personaliter* dictum esse, *Pasce*. De qua repugnantia dicam iterum cap. 7. §. 21.

17. Deinde quæro exte: Si Petrus fuit generalis Procurator omnium Prælatorum, an fuerit omnium Prælatorum absolutè, etiam Apostolorum; an omnium, exceptis Apostolis. Si prius, necesse est, Apostolos non per se, sed per Procuratorem accepisse curam pastorem. At hoc antea negasti, asserens, eos accepisse per se, quando ipsis dictum est, *Mitto vos*. Si posterius, sequitur Petro plus aliquid datum esse, quàm alijs Apostolis, quod ante negasti. Nam illi datum est, ut esset generalis Procurator omnium Prælatorum Ecclesiæ, quod alijs non fuit datum.

18. Tertium mysterium sic proponis: *Tertio dici potest, Petro singulariter Christum dicere. Pasce oves meas, hoc est, Israelitas, qui tunc soli erant Christi oves. Unde & dicebat Matth. 10. 6. Ite ad oves, quæ perierunt, domus Israel. & Matth. 15. 24. Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israel.* At ego hîc nullum video mysterium, sed mendacium & ignorantiam. Mendacium est, solos Israelitas fuisse tunc Christi oves. Nam ipsemet dixit, Joan. 10. 16. *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere.* Ubi apertè loquitur de gentilibus. Igitur non soli Israelitæ, sed etiam gentiles erant ipsius oves. Et alij quidem jam con-

versâ

versi ad fidem Christi, ut tres Magi, qui illum in stabulo adoraverant: alij deinceps convertendi. Miror ignorantiam tuam, si hæc nefcis.

19. Sed estò: verum sit, quod falso asseris; Quid obsecro hîc mysterij est? Queram enim quod suprâ quæsi, si Petro nihil novi collatum est per illud, *Pasce*, quod non prius collatû erat per illud, *Mitto vos, & Euntes in mundum univrsam*: Quid necesse fuit iterum dicere, *Pasce oves meas*? Tu respondes; quia per oves intelliguntur soli Israelitæ. Magnum scilicet mysterium. Imo magnum delirium. Nam si antea dictum est omnibus, *Ite in mundum univrsam, & per hoc acceperunt potestatem prædicandi Evangelium omnibus Gentibus*; certè cum postea dictû est Petro, *Pasce oves meas*, id est solos Israelitas, necesse est, priorem potestatem, quæ erat amplissima, revocatâ esse, & ad solos Judæos restrictam. Itane vero?

20. Testimonia scripturæ, quæ adducis, vel non intelligis, vel malitiosè abuteris. Nam initio quidem dictum est Apostolis: *Ite ad oves, quæ perierunt domus Israel*: sed postea laxata fuit potestas, cum dictum est, *Euntes in mundum univrsam &c.* Illud porrò, *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israel*, sic debet intelligi, Christum nõ esse missum, ut suam præsentiam corporalem, prædicationem & miracula exhiberet, nisi ad Judæos; quia illis solis, propter fidem Abrahamæ, facta est promissio de adventu Messia, ut rectè notat Augustinus tract.

tract. 31. in Joannem, circa finem. Nihilominus erat etiam missus ad gentes, ut suo sanguine illos redimeret, & per prædicationem Apostolorum ad suum ovile perduceret. Rom. 10. 11. *Non enim est distinctio Judæi & Græci. nam idem Dominus omnium.* Et 2. Corint. 5. 15. *Pro omnibus mortuus est Christus* Et 1. Timoth. 2. 6. *qui dedit Redemptionem semetipsum pro omnibus.*

21. Quartum mysterium est: *Christus ideo seorsim dixit Petro, Pasce oves meas, ut eidem Petro & quasi satisfactionem injungeret erroris trinae negationis, & simul etiam eidem animos adderet, ne suis fædis negationibus nimium confusus, in barathrum desperationis laberetur.* Pro hoc mysterio citas Augustinum, Cyrillum, Nazianzenum & Chrylustomum. Ineptè omnia. Primò, quia pastoralis cura ovium Christi, non est satisfactio erroris vel culpæ, sed est dignitas Prælati Ecclesiæ. Et, si verum est, quod in secundo mysterio dixisti, Petrus nomine omnium Prælatorum, tanquam generalis Procurator, accepit hanc dignitatem, seu curam pastorem. At absurdum est dicere, Petrum nomine omnium Prælatorum, satisfacisse pro suo errore trinae negationis. Nã trina negatio erat solius Petri, non aliorum Apostolorum aut Prælatorum.

22. Deinde, nullum erat periculum desperationis, ut tu invidiosè fingis. Nam antequam Christus diceret Petro, *Pasce oves meas,* multa alia præcesserant, quæ ad depellendam desperationem abundè sufficerent. Primò, quia Christus, statim post peccatum negatio-

nis, benignè aspexit Petrum (Lucæ 22.61.) Secundò, ex hoc aspectu secuta est vera cõtritio & pœnitentia Petri (Matth.26.75. *Et egressus foras, flevit amare.*) Tertiò, post Resurrectionẽ sæpè apparuit Petro: semel quidem soli, (Luc. 24.34.) Deinde, Petro & alijs simul (Ib. v.36.) Quartò, ter dixit illi & aliis Apostolis, *Pax vobis* (Joan. 20.19. & seqq.) Quintò, dixit illi & aliis, *Accipite Spiritum sanctum. Et, Euntes docete omnes gentes. Et, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Quibus omnibus ita confirmatus fuit Petrus, ut in piscatione, quæ facta est post Resurrectionem, cum magna fiducia miserit se in mare, ut ad Christum in littore expectantem, natando citiùs perveniret, quàm alii navigando, (Joann. 21.7.) Et tu, post hæc omnia fingis barathrum desperationis? Magnam injuriam illi facis. ;

23. Patres, quos citasti, non asserunt, quod tu asseris. Primò, quia nullam faciunt mentionem desperationis. Secundò, nec ajunt, satisfactionem seu compensationem, quæ Petro injuncta est, propter peccatum trinę negationis, consistere in eo, *Pasce oves meas*, ut tu comminisceris; sed in eo, *Diligis me plus his?* Nam quia Petrus ter Christum negaverat ex timore, vicissim exigit ab illo Christus trinam confessionem amoris. Sic enim scribit Augustinus (quem tu citas) tract.123. in Joannem: *Redditur negationi trina terna confessio.* Et serm. 49. de verbis Domini: *Ut trina confessione amoris deleret trinam negationem timoris.* Eodem modo

do Cyrillus (quem etiam adducis) lib. 12. in Joannem cap. 64. *Quoniam Petrus, inquit, ter in tempore passionis negavit, jure nunc ab eo terna dilectionis confessio petitur, ut terna negatio aequali confessionis numero compensetur.* Igitur hæc tria hîc distinguenda sunt: 1. trina negatio, quæ est peccatum. 2. trina confessio, quæ est compensatio seu satisfactio pro peccato. 3. pastura ovium, quæ est præmium & dignitas Ecclesiastica.

24. Quintum mysterium est: *Christus ideo cum solo Petro locutus est, & seorsim illi pasturam ovium commendavit, quia sicut ipse præcipuus erat ex undecim, ita præcipuam curam prædicationis ipsi commisit, qui maximè omnium, qui tunc aderant, debebat in ipsius Domini vinea laborare.* Pro hoc mysterio citas Leonem, Gelasium, Nicolaum & Lanfrancum.

25. Hic aliquid verè asseris ex Patribus, aliquid affingis ex tuo capite. Verum est, Petrum fuisse præcipuum Apostolorum, & pasturam ovium illi commendatam: Falsum est, illam Petri eminentiam positam fuisse in eo, quòd maximè omnium, qui tunc aderant, debuerit in vinea Domini laborare. Hoc enim intelligis de labore itineris, prædicationis, & adversitatis, in quo constat Paulum præ cæteris excelluisse (2. Corinth. 11. 23.) Et ideo, ut relinqueres Paulò hanc prærogativam, dixisti, *Maximè omnium, qui tunc aderant.*

26. De hoc labore nihil dicunt citati à te Patres. Nam Leo Epist. 87. ad Episcopos Provinciae Viennensis, sic scribit: *Cui, cum præcæ-*

teris solvendi & ligandi potestas tradita sit, pascendarum tamen ovium cura specialius mandata. Et serm. i. de Ascensione; Beato Apostolo Petro supra ceteros, post regni claves, ovilis Dominici cura demandatur. Hic notandæ sunt istæ particulæ, *Præ ceteris*, & *supra ceteros*, quæ non significant, ut tu falsò asseris, Petrum præ ceteris vel supra ceteros debuisse laborare, excepto Paulo: Sed illi præ ceteris & supra ceteros traditam esse potestatem ligandi, & demandatam curam Ecclesiæ. Quod etiam asserunt reliqui Patres à te citati.

27. Vide nunc, Marce Antoni, quid mysterij lateat in tuis mysterijs, quæ lectori obtrudis. Nihil aliud ex illis colligo, nisi tuam inconstantiam, mendacium, contradictionem. Deinceps videamus, quid antiqui Patres, quorum auctoritatem simulas te magnificare, sentiant de Primatu Petri. Ne tamen ex ijs, quæ à te allata sunt, videar aliquid præteriisse, respondendum est ad illud, quod objicis ex Apostolo, Ephes 4. 11. *Et ipse dedit quidem quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores.* Hinc inferis, non solum Petrum fuisse Pastorem, sed etiam alios. Facilis responsio. Plures sunt Pastores particularium Ecclesiarum: Unus est pastor Ecclesiæ universalis, nempe Christus, & ejus loco, Petrus, vel Successor Petri. Unde vocatur Pastor Pastorum, ut supra dixi ex Bernardo, & cap. sequenti iterum dicturus sum.

CAPUT QUARTUM.

Primatus Petri probatur ex Patribus.

1. **A**Ntiqui Patres tam clarè, disertè, & rotundè loquuntur de Primatu Petri, ut clariùs, disertius, & rotundiùs loqui non possint. Nam aliqui expressè vocant illum *Vicariũ Christi*, ut Ambrosius ad cap. 24. Lucæ. Anselmus ad cap. 16. Matthæi. Bernardus lib. 2. de consideratione ad Eugenium. Genadius Scholarius, de Primatu Papæ. Sect. 2.

Alij *Caput Ecclesia*, ut Hieronymus in Psal. 13. Chrysostomus homil. 11. in Matthæum, Philo Carphatius in cantica.

Alij *Caput fidelium & Pastorem Gregis dominici*, ut Augustinus (vel quisquis autor est) in lib. quæstionum Veteris ac Novi Testamenti, quæst. 75.

Alij *Caput omnium Apostolorum*, ut, Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum, Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joannem c. 64.

Alij *Principem Apostolorum*, ut Cyrillus Hierosolymitanus catech. 2. & 11. Basilius in Proæmio præceptionum latius disputatarũ, Hieronymus in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum.

Alij *Pastorem pastorum*, ut Eucherius Lugdunensis in vigilia S. Petri, Bernardus lib. 2. de consideratione ad Eugenium.

Alij *Coryphaeum Apostolorum*, ut Dorotheus Tyrius in Synopsi, Isidorus Pelusiota lib. 1. E-

pist. 142. Andreas Cæsariensis ad c. 13. Apocal.

Alij *verticem Apostolorum*, ut Origenes Homil. 2. in diversos locos Novi Testamenti, Chrysofomus in Homil. in Petrum Apostolum & Heliam Prophetam.

Alij *Apicem Apostolorum*, ut Cyrillus Alexandrinus lib. 14. thesauri cap. 2.

Alij *Antesignanum Apostolorum*, ut Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 58.

Alij *Petram & Crepidinem Ecclesia Catholica, & recta fidei fundamentum*, ut Synodus Chalcedonenfis Act. 3.

Alij *Principem Ecclesia Christianorum*, ut Ephrem Syrus, serm. de transfiguratione Domini.

Alij *Ducem Discipulorum Christi*, ut Epiphanius Hæresi 51.

2. Ecce, qui & quanti tituli soli Petro præ alijs tribuuntur, Quos tu quidem lib. 1. cap. 4. & 5. agnoscis, quia negare non potes; sed tamē respondes hoc modo: 1. Titulum Vicarij perfectissime convenire Spiritui sancto, quem Christus suo loco milit post Ascensionem. 2. Eundem convenire etiam Apostolis, sed nō magis Petro, quam aliis. 3. Titulum Principis Apostolorum communem esse Petro & Paulo. 4. Reliquos titulos, quotquot sunt, concessos esse Petro, propter Primatum ætatis, vocationis & charitatis; non autem propter Primatum potestatis aut jurisdictionis. Hæc tria posteriora discutienda sunt. Nam primum, de Spiritu sancto, jam antè refutatum est.

3. Prima ergo quæstio est : An omnes Apostoli æquè fuerint Vicarij Christi, ita ut Petrus in hoc officio, nullam prærogativam habuerit præ alijs? Tu affirmas cap. 4. n. 3. & seqq. At falso. Nam etsi reliqui Apostoli fuerint etiam Vicarij Christi (quod non nego) non tamè ex officio fuerunt illius Vicarij in regimine totius Ecclesiæ, sicut Petrus. Petro tota Ecclesia, totum ovile, omnes Christi oves commissæ sunt; reliquis non item. Quod tametsi præcedenti capite satis probatum sit, hîc tamen obiter probandum est ex Patribus, quorum auctoritate contra nos pugnas.

4. Igitur Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis (quem Anglia meritò veneratur) ad cap. 16. Matthæi, sic scribit: *Eam potestatem, ideo uni Petro concessit specialiter, ut ad unitatem nos invitaret. Ideo enim eum Principem Apostolorum instituit, ut Ecclesia, quasi unum principalem Vicarium Christi haberet, ad quem diversa Ecclesiæ membra recurrerent, si forte inter se dissentirent. Quoniam si diversa essent capita in Ecclesia, unitatis vinculum rumperetur per diversa schismata. Quid clarius dici poterat? aut, quæ efficacior ratio ad persuadendum adhiberi?*

5. Et Sanctus Bernardus lib. 2. de consideratione ad Eugenium: *Inde est, quòd Petrus altera vice, instar Domini, gradiens super aquas, unicum se Christi Vicarium designavit, qui non uni populo sed cunctis præesse deberet.* Ecce, Petrum vocat unicum Christi Vicarium, non quòd reliqui Apostoli non fuerint Vicarij, sed quòd

non fuerint generales Vicarij, respectu totius Ecclesiæ, sicut Petrus. Plura testimonia paulo post citabo.

6. Sed objicis alios Patres. Primo Augustinum lib. 2. contra Gaudentium, cap. 12 ubi dicitur illud Christi ad Apostolos, *Act. 1. 8. Eritis mihi testes in Jerusalem, & in totam Judæam & Samariam, & usque ad terminos terra*, sic scribitis: *Pro tanto tenacius, quanto posterius audientium mentibus fixit. Hanc sponsam suis amicus sponsus sibi commendavit.* Ex his verbis colligis primò, Christum in suo discellu ex hoc mundo, commisisse Apostolis officium prædicandi Evangelium in totum mundum. Secùdò, omnes & singulos Apostolos indifferenter accepisse curam totius mundi, absque ulla limitatione. Tertiò, Ecclesiam, quæ Christi sponsa est, æquè omnibus Apostolis, tanquam Vicarijs, à Christo commendatam. Quattò, Petro nihil amplius præ cæteris collatum esse.

7. Respondeo. Erras primò in citatione. Augustinus non habet illa verba, loco à te citato, sed lib. 1. cap. 20. Deinde erras in re ipsa: nam et si eo loco & tempore nihil peculiare Petro collatum sit, præ alijs Apostolis, tamen jam antea fuerat illi collata Præfectura totius orbis Christi, per illa verba, *Pasce oves meas.* Et præterea, firmitas seu constantia fidei in ipso, & successoribus, per illa, *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Neque necesse est, omnia uno loco & tempore conferri. Alioqui sequeretur, Apostolis nihil aliud collatum esse à

se à Christo, quàm officium prædicandi; non autem officium baptizandi, & remittédi peccata. Nam in suo discessu ex hoc mundo, quãdo dixit, *Eritis mihi testes in Jerusalem*, non fecit mentionem baptismi aut clavium, sed tantùm prædicationis Evangelij.

8. Quòd addis, Christum in discessu suo, omnibus & singulis Apostolis indifferenter dedisse curam totius mundi, absque ulla limitatione, falsum est. Nam, ut dixi, per illa verba, *Eritis mihi testes*, solum commisit illis officium prædicandi; non autem officium gubernandi Ecclesiam: Ergo ex illis verbis non potest colligi, omnes Apostolos in gubernatione Ecclesiæ fuisse æquales. Deinde, sensus verborum Christi non est, ut singuli Apostoli, nullo ordine aut respectu, prædicarent Evangelium per totum terrarum orbem (quia hoc moraliter fuisset impossibile) sed ut singuli, facta distributione, singulas partes peragrarent; Et sic ab omnibus, non tamen à singulis, Evangelium toto orbe promulgaretur. Idque fieret, partim per ipsos Apostolos, partim per ipsorum successores. Quod etiam eventus docuit. Nam post aliquot annos à Christi discessu, facta est divisio Apostolorum, & singulis certa civitas, vel provincia, vel Regnum assignatum. Solus Petrus habebat generalem curam universalis Ecclesiæ, ut jam sæpè ex Patribus ostendi, ac deinceps ostensurus sum.

9. Nec aliter fieri potuit. Nam sicut Christus dixit, *Eritis mihi testes, usq; ad terminos ter-*

re; ita antea dixerat, *Euntes in mundum univ-
 sum, predicare Evangelium omni creatura, bap-
 tizantes eos in nomine Patris &c.* At hoc non po-
 tuit sic intelligi, quòd singuli debuerint id
 præstare; alioqui si unus prædicasset Evange-
 lium, & baptizasset omnes in universo mun-
 do, quid reliqui eodem tempore fecissent? An
 eosdem iterum baptizassent? Nullo modo. Est
 ergo, non conjunctim, sed divisim intelligen-
 dum, hoc modo: Ite divisi in diversas partes
 mundi, & unus hîc, alius alibi prædicet Evan-
 gelium, baptizet, & similia officia exerceat.
 Nosti simile exemplum in nostra Societate.
 Mittimur in universum orbem terrarum: non
 ut singuli universum occupent, sed ut quisque
 in certo loco, sibi assignato, obeat officium
 hominis religiosi. Neq; valet hæc consequen-
 tia: Omnes sacerdotes Societatis habent po-
 testatem eundi in universum mundum, & ubi-
 que Evangelium prædicandi: Ergo omnes
 sunt inter se æquales, & Præpositus generalis
 nihil plus habet, quàm reliqui. Similis est con-
 sequentia, quam tu facis de Apostolis.

10. Secundò objicis Ambrosium, qui in
 Psalm. 38. sic scribit: *Ascende ergo homo in cælum,
 & videbis verum illum & æternum, atque perpe-
 tuum Sacerdotem, cujus hic imagines videbas, Pe-
 trum, Paulum, Joannem, Jacobum, Matthæum,
 Thomam.* Hinc inferis, non solum Petrum, sed
 omnes Apostolos æquè repræsentasse Chri-
 stum; ac proinde, æquè fuisse Vicarios Christi.
 Respondeo, Verum est, quod dicit Ambrosi-

us: Falsum, quod tu inferis. Nam omnes Apostoli, quatenus erant Sacerdotes, fuerunt imagines Christi, supremi & æterni Sacerdotis. Idem dici potest de omnibus alijs Sacerdotibus Novi Testamenti. Omnes ratione sacerdotij, sunt imagines Christi. An ideo omnes æquales? Ne tu quidem hoc dixeris. Nam fateris Episcopos, ex divina Christi institutione, majores ac eminentiores esse Presbyteris.

II. Sed ut planius constet de mente Ambrosij, ponam antecedentia ipsius verba, quæ sic habent: *Primum igitur umbra præcessit; secuta est imago; erit veritas. Umbra in lege; imago verò in Evangelio; veritas in cælestibus. Umbra Evangelij & Ecclesia in Lege; imago futura veritatis in Evangelio; veritas in iudicio Dei.* Hæc est Thesis Ambrosij. Sub qua thesi descendit ad hanc hypothefin: Sacerdotes legis Mosaicæ erant umbræ, respectu Christi: Sacerdotes Evangelij sunt imagines, respectu ejusdem: Christus in cælo, est veritas. Nempe, in ratione sacerdotij. At, sicut hinc non sequitur, omnes Sacerdotes legis Mosaicæ fuisse inter se æquales, ita nec sequitur, omnes Sacerdotes Evangelij inter se esse æquales. Et vicissim, sicut omnes Sacerdotes Mosaici fuerunt umbræ Christi; Et tamen, eo non obstante, Pontifex erat major alijs; ita omnes Sacerdotes Evangelici sunt imagines Christi; & tamen, eo non obstante, Pontifex est major alijs. Si hæc exempla non sufficiunt, dabo aliud. Constat ex scriptura, hominem creatum esse ad imaginé

Dei (Genes. 1. 26.) Et hoc sensu omnes homines appellari posse imagines Dei. An hinc inferes, omnes in potestate & jurisdictione inter se esse æquales, nec plus habere Reges & Principes, quam alios? Absit. Hæretica & scandalosa esset hæc illatio.

12. Tertio objicis eundem Ambrosium, qui alibi omnes Apostolos expresse vocat Vicarios Christi, ut in c. 1. Epist. ad Rom. & in c. 3. prioris ad Corinth. Respondeo. Nemo hoc negat. Sed quæstio est, an omnes eodem sensu, & æquali potestate sint Vicarij Christi? Si hoc assereret Ambrosius, pro te esset. At contrarium asserit. Nam in c. 12. posterioris ad Corint. sic scribit: *Prior secutus est Andreas Salvatorem, quàm Petrus; Et tamen Primatum non accepit Andreas, sed Petrus.* Non ergo omnes Apostoli æquales, ut tu fingis. Nã Petrus accepit Primatum, quem Andreas non accepit. Et serm. 46. de pœnitentia Petri in fine: *Videte ergo quantum fletus profuerit Petro. Antequam fletes, lapsus est: postquam flevit, electus est. Et qui ante lachrymas prævaricator extitit, post lachrymas pastor assumptus est: Et alios regendos accepit, qui prius seipse nõ rexit.* Ecce, Petrus post fletum electus est. Sed ad quid electus? Non ad Apostolatam, quia jam antea erat Apostolus. Ad quid ergo? Ad officium Pastoris; ad regimen aliorum. Hoc ergo ante non habuit. Nec igitur reliqui Apostoli, qua Apostoli, id habebant. Solus igitur Petrus habuit.

13. Quartò objicis Chrysostrum, Homil.

mil. 11. in poster. ad Corinth. ubi explicans illū versiculum Pauli, *Pro Christo legatione fungimur*, sic scribit: *Misit filium Pater, exhortari, & legatione fungi apud humanum genus pro se: Quoniam autem ille occisus ab iis, nos legationem suscepimus, & pro illo & Patre, exhortamur vos.* Et infra: *Igitur pro Christo legatione fungimur, id est, illius loco. Nam nos, quæ illius officij sunt, suscepimus.* Ex utroque testimonio sic argumentaris: Legatus repræsentat suum principalem, & ab eo immediate mittitur, & vices ipsius, ubi ille abest, supplet. Omnes & singuli Apostoli sunt tales. Omnes igitur & singuli suppleant vices Christi, nec magis Petrus, quam reliqui.

14. Respondeo. Hoc testimonium contra te ipsum profers. Primo, quia Chrysostomus supponit, Christū in hac vita per seipsum exercuisse officium Capitis, Pastoris, Monarchæ; & postea id fecisse per Vicarios. At tu negas Christū in hac vita fuisse Caput Ecclesiæ, aut exercuisse ullum officium Capitis, ut lib. 1. c. 1. & seqq. ostensum est. Secundo, Chrysostomus dicit, non solum Apostolos, sed etiam Christum legatione functum esse pro Deo: & tamen agnoscit Christum esse majorem legatum, quam Apostolos. At tu, ex eo, quia Apostoli fuerunt legati Christi, infers, omnes æquales fuisse in Legatione, quod Chrysostomus non infert. Alioqui etiam Christus fuisset æqualis Apostolis. Tertiò, Chrysostomus dicit, Apostolos suscepisse, quæ erant officij Christi. Vel hoc interpretaris absolutè dictū esse,

esse, vel cū limitatione. Si absolutè, falsum est. Nam Apostoli non susceperunt omnia, quæ erant officij Christi. Officium enim illius fuit, redimere genus humanum, & instituire Sacramenta. Hoc Apostoli non susceperunt. Si cum limitatione, verum quidem est, sed contra te. Nam si Apostoli nõ susceperunt omnia, quæ erant officij Christi, sed aliqua tantum; non potest inferri, quod tu inferis, omnes in legatione fuisse æquales. Fieri enim potuit, ut alij plura, alij pauciora susciperent. Vel, ut alij cum majori, alij cum minori limitatione susciperent, quæ erant officij Christi. Habemus exemplum notissimum. Legati Apostolici, qui à Pontifice mittuntur in provincias, verè ipsius Legati sunt; sed cum limitatione accipiunt, quæ sunt officij Pontificis: & alius plus; alius minus accipit. Non enim omnes æquales sunt. Idem dico de Legatis Regum & Imperatorum. Omnes quidem legati sunt, sed alius cum majori potestate fungitur legatione; alius cum minori. Res nota est.

15. Tertia quæstio est. An titulus Principis Apostolorum cõmunis sit Petro & Paulo? Tu affirmas lib. 1. cap. 5. n. 2. Et probas ex Hieronymo & quibusdam alijs, qui Petrum & Paulum vocant Principes Apostolorum. Respondeo. Verum est: sed longè alio sensu. Nam quando Petrus seorsim vocatur Princeps Apostolorum, tunc intelligitur esse Princeps respectu omnium Apostolorum, etiam respectu Pauli; quia respectu omnium habet curam
& gu-

& gubernationem pastoraalem. Nemo enim excipitur ab eo, *Quod illi dictum est, Pafce oves meas.* Quando autem Petrus & Paulus simul vocantur Principes Apostolorum, hoc intelligendum est, non de vero Principatu aut gubernatione pastoralis; sed de eminentia laborum ac molestiarum, in quibus illi duo præcelluere. Itaque magna est differentia inter Petrum & Paulum. Primò, quia Petrus duplici titulo vocatur Princeps Apostolorum: tum propter eminentiam potestatis seu præfecturæ; tum propter eminentiam laboris. At Paulus, posteriori tantum. Secundò, Petrus, & seorsim solus, & conjunctim cum Paulo vocatur Princeps. At Paulus seorsim nunquam; quod benè notandum est. Unde Hieronymus, quem tu citas, quando de utroque simul loquitur, appellat Principes Apostolorum: quãdo seorsim de alterutro, Petrum quidem vocat Principem Apostolorum, non tamen Paulum; ut patet in catalogo de scriptoribus Ecclesiasticis.

16. Idem confirmo ex alijs Patribus. Nam Cyrillus Hierosolymitanus catech. 11. sic habet: *Omnibus Apostolis reticentibus, Petrus Princeps Apostolorum, & supremus Ecclesia Præco dicit ad ipsum.* Ubi Petrum vocat Principem, respectu omnium Apostolorum; & ut clarius explicet, quo sensu sit Princeps, ait esse supremum Ecclesiæ Præconem. De Paulo id nunquam invenies.

17. Et Ephreem Syrus in serm. de transfiguratione.

guratione Domini: Sicut Moyses Societatis illius & coniunctionis Hebræorum, jussu Dei, Princeps fuit: Ita Petrus Ecclesie Christianorum. Atque, ut ille Veteris, ita hic Novi Testamenti Princeps. Pulchra collatio, & ad nostrum institutum accommodata. Constat autem Moysen fuisse Principem Hebræorum, ratione potestatis & jurisdictionis. Ergo eodem sensu, Petrus fuit Princeps Christianorum. Quis hoc unquam dixit de Paulo?

18. Et Cassianus lib. 3. de incarnatione Domini cap. 12. *Interrogemus summum illum, & inter Discipulos Discipulum, & inter Magistros Magistrum, qui Romana Ecclesie gubernaculum regens, sicut fidei habuit, ita & Sacerdotij Principatum. Dic nobis ergo, dic nobis Princeps Apostolorum Petre.* Hic etiam Petrus vocatur Princeps Apostolorum, quia erat summus inter Apostolos, & præ alijs habebat Sacerdotij Principatum. De Paulo, nihil ejusmodi.

19. Et Maximus Constantinopolitanus Patriarcha in Epist. ad Orientales: *Hunc enim ex ceteris mortalibus de toto orbe Conditor orbis elegit, cui cathedram Magisterij principaliter possidendam tenere, perpetuo privilegij jure concessit.* Vbi vides, Petrum ideo vocari Principem omnium Apostolorum, quia principaliter possidet cathedram Magisterij, quæ illi perpetuo privilegij jure concessa est. At nullum esset Privilegium, si non principaliter, sed æqualiter cum alijs Apostolis illam cathedram possideret.

20. Et Leo Imperator, dictus Sapiens, in serm. de Petro: *Post resurrectionem ter Petrum Dominus percunctatus, an ab eo diligeretur, Principem Apostolorum constituit. Et paulo post: Petrus verò, cum intelligeret, Principatum cum magnum esse, & magnis indigentem viribus, videretq; Joannem sequentem, illum dico, quem Jesus vehementer amabat: Hic, inquit, quid? Quod perinde erat, quasi diceret: Mene praeferri vis Caput Discipulis? Hunc vero à te dilectum, qui voluit sedere ad dextram, hunc, inquam, quid facere jubes? Et iterum: Tu me sequere, id est sequere me hoc baculo pastoralis: & sicut ego, cum eram vobiscum, servabam vos, ut Pater, & Caput & Magister, vigilans pro vobis: sic tu esto meo loco, & sequere me Principatu ac potestate tua fratres tuos confirmans. Te enim volo esse meo loco. Unde manet in hodiernum usq; diem Petrus sequens Christum in Successore suo. Magnum hoc testimonium.*

21. Et Hugo Victorinus serm. 64. de Apostolis Petro & Paulo: *Petrus cateris eminent excellentia potestatis: Paulus excellentia predicationis. Petrus, Sol: Paulus, Luna. Petrus Sol, per collatam sibi divinitus potentiam: Paulus Luna, per collatam sibi caelitus sapientiam. Et infra: Petro soli inter ceteros, & praeceteris, à Domino cura pastoralis principaliter & specialiter injuncta est, ubi dicitur: Passce agnos meos. Hæc sufficiant de titulo Principis, qui aliter Petro, aliter Paulo concessus est.*

22. Quarta quaestio: An reliqui tituli (§. 1. enumerati) concessi sint Petro, propter Primatum ætatis, vocationis & charitatis; an vero

propter Primatum potestatis & jurisdictionis. Tu asseris priorem partem; ego posteriorem. Nec opus est novis Argumentis. Jam ante ostendi, Primatum ætatis, vocationis & charitatis, vel incertum, vel fictitium esse. Primum quia incertum est, an Petrus fuerit ætate senior, quàm omnes reliqui Apostoli. Secundò, falsum est, vocatum esse ad Apostolatam, antequam reliqui vocarentur. Tertiò, de Primatu charitatis diversæ sunt authorum opiniones. Alij tribuunt illum Petro; alij Joanni.

23. Deinde, multi ex supradictis titulis, plus aliquid significant, quàm prærogativam ætatis aut vocationis. Sunt enim duplices tituli. Aliqui tribuuntur Petro, respectu aliorum Apostolorum; ut cum dicitur Apostolorum Princeps, Caput, Coryphæus, Apex, Vertex, Antesignanus. Alij respectu Christi, vel totius Ecclesiæ, vel omnium fidelium; ut cum dicitur Universalis Vicarius Christi, Caput & Princeps Ecclesiæ, Caput fidelium, Pastor gregis Dominici. Priores fortè possent illi accommodari propter Primatum ætatis & vocationis, quem tu fingis: non tamen posteriores. Hoc ostendam in Exemplo à te allato. Dicit Petrum fuisse quasi primogenitum inter Apostolos; ac proinde, sicut quilibet alius primogenitus, ratione ætatis, potest vocari Caput aut Princeps suorum fratrum; sic etiam de Petro statuendum esse. Sit ita. At vicissim ego retorqueo: Sicut ex eo præcisè, quòd aliquis est primogenitus inter fratres, non potest vocari

vari Caput aut Princeps Reipublicæ, Caput aut Princeps civium, Vicarius Regis aut Imperatoris : Sic in simili casu, ex eo præcisè, quòd Petrus est primogenitus inter fratres suos Apostolos, non potest vocari Caput Ecclesiæ, Princeps fidelium, Vicarius Christi. Alia ergo causa est horum titularum, quàm prærogativa ætatis & vocationis:

24. Denique falsum est, Patres non agnovisse alium Primatum in Petro, quam qui à te fingitur. Primò, quia aliqui, ut ex dictis patet, negant illum fuisse seniore[m] ætate & vocatione. Ergo illi saltem vel agnoscunt alium Primatum, vel nullum. Utrunq[ue] contra te est. Secundò, verba ac sententiæ Patrum non salvantur, per Primatum ætatis & vocationis. Audi quid scribant, & quomodo loquantur.

25. Chrysostomus Homil. 80. ad populũ Antiochenum, ante medium: *Nonne, inquit, ter Petrus negavit? Nonne cum juramento ter? Quid ergo? Multumne temporis fuit illi necessariũ ad pœnitentiam? Nequaquam. Sed eadem nocte lapsus est, & resurrexit. Post illum enim gravem casum, (negationi namq[ue] nullum est malum æquale) rursus eum ad priorẽ honorem reduxit pœnitentia. & ei per totum orbem terrarum Ecclesiã præsidentiam tradidit.*

Et orat. 5. adversus Judæos, longè ante medium: *Petrus post illam nefariam abjuratorem, quoniam teleriter suum ipsius peccatum recordatus est, nulloque accusantẽ dixit peccatum, flevitque amare, adeo abluvit illam negationem, ut etiam Pri-*

mus Apostolorum fuerit factus, ac terrarum orbem totum subjecerit.

Hæc duo testimonia non possunt intelligi de Primatu ætatis aut vocationis; quia illū Primatum, ut tu ipse fateris, habuit Petrus ante peccatum negationis, per hoc præcisè, quòd esset senior ætate, & primus à Christo ad Apostolatam vocatus: Sed debent intelligi de Primatu, qui post factam pœnitentiam Petro cõcessus est, ut ex verbis Chrysostomi constat. Quis a. Primatus ille sit, colligi potest ex duabus illis particulis. 1. *Ecclesiæ Præsidentia per totū terrarum orbem.* 2. *Subiectio totius orbis terrarum.* Porro hic Primatus, qui tunc illi datus est, distingui debet ab honore, ad quem ait Petrum reductum esse per pœnitentiam.

26. Eodem modo ac sensu loquitur Maximus Taurinensis (qui vixit circa tempora Augustini) Homil. 3. in natali Apostolorū Petri & Pauli: *Quanti, inquit, meriti apud Dominū suum Petrus erat, ut ei post naviculæ parvæ remigiū, totius Ecclesiæ gubernacula traderentur?* Certe, per gubernacula totius Ecclesiæ, non significatur Primatus ætatis aut vocationis, sed dignitatis & jurisdictionis. Nec video, quomodo clarius explicari possit potestas jurisdictionis, quàm hîc explicata est: Nam perinde est, ac si dicas in simili casu: totius Imperij gubernacula Matthiæ Austriaco tradita sunt. Vel totius regni Galliæ gubernacula Ludovico undecimo tradita sunt. Quis hic locus dubitandi aut tergiversandi?

27. Similiter Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum: *Inter duodecim unus eligitur, ut Capite constituto, schismatis tolleretur occasio. Sed cur non Joannes electus est virgo? atati delatum est, quia Petrus senior erat, ne adhuc adolescens, ac pene puer progressa atatis hominibus praeferretur.* Hinc tria colligo. Primò, solum Petrum ex duodecim Apostolis electum esse in Caput Ecclesiæ. At si electus est ex duodecim Apostolis, jam antea non erat ratione ætatis & vocationis. Aut si antea erat, electus non est. Secundò, ideò electum esse, ut constituto Capite, schismatis tolleretur occasio. Ergo non est electus pro sua tantum persona, sed etiam pro Successoribus; quia si tempore Apostolorum, quando Ecclesia erat exigua, debuit esse unum Caput ad vitandum schisma, multo magis post tempora Apostolorum, quando Ecclesia fuit diffusa per rotum orbem terrarum. Tertiò, ideò potius Petrum, quam Joannem electum esse in Caput, quia non decebat Joannem pene puerum præferri senioribus. Certè si Hieronymus putasset, quod tu fingis, Primatum Petri in eo solum consistere, quod reliquis ætate & vocatione senior esset; vel frustra, vel stultè quæsiuisset, quare Joannes non esset electus ad Primatum? id est, quare non esset electus, ut fieret senior ætate & vocatione?

28. Item Leo Papa (qui propter doctrinam & virtutem dictus est Leo Magnus) serm. 3. de Assumptione sua ad Pontificatum: *Unus de toto mundo Petrus eligitur, qui est universalium*

gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesia Patribus prapponatur; ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multiq; Pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.

Et Epist. 87. ad Episcopos provinciae Viennensis, cap. 1. Sed hujus muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro, Apostolorum omnium summo principaliter collocaret: Ut ab ipso, quasi quodam Capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet, ut exortem se mysteri divini intelligeret esse, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium individua unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo, Tu es Petrus.

Ex hoc utroque Leonis testimonio habemus hæc tria: Primò, quod Petrus regat omnes, quos principaliter regit Christus; etiam omnes alios Ecclesiae Pastores & Apostolos. Secundò, quòd à Petro, tanquam à Capite diffundantur dona Dei in omnia membra Ecclesiae. Tertiò, quòd Petrus à Christo in consortium individuae unitatis assumptus sit.

129. Quid tu verò, Marce Antoni, ad hæc respondes? Primò fateris, quod res est, Leonè admittere Primatum Petri super totam Ecclesiam. Hoc accipio. Vixit autem Leo circa Annum Christi 440. Igitur ab eo tempore, id est, ab Annis mille ducentis, Primatus Petri fuit agnitus & concessus in Ecclesia. Secundò ais, Leonem oratorio more, voluisse Petri dignita-

gnitatem amplificare, ut hac ratione suam dignitatem Pontificalem extolleret. An putas tibi similem fuisse, qui studio ambitionis, veritati à se agnitæ contradixerit? At scias in Sãctorum Catalogum ab Ecclesia relatum esse. Terriò ais, Leonem in eo exorbitasse, quòd dixerit, Petrum in consortium individux unitatis à Christo assumptum esse. Hoc probas, quia individua unitas in Christo erat sola cum Patre & Spiritu sancto in natura & essentia divinitatis. *Qualem unitatem, inquis, quis asserat in Christum & Petrum? Nisi Petrum faciamus unum ex Trinitate, quæ est blasphemia horrendissima.* Audi, mi frater. Nulla est hîc blasphemia: Sed quod bene à Leone dictum est, tu vel non intelligis, vel malè interpretaris. Non dixit Leo, Christum assumpsisse Petrum in consortium individux unitatis, ratione naturæ aut substantiæ divinæ, ut tu falsò imaginaris; sed ratione nominis ac dignitatis. Nam Christus voluit illum vocari Petram & fundamentum Ecclesiæ, sicut ipse vocabatur. Verba Leonis aperta sunt. Quæ etiam repetuntur à Nicolao Papa, & citantur in jure canonico, cap. *Fundamentum*, De electione & electi potestate in 6.

30. Addam adhuc unum aut alterum è Patribus. Gregorius lib. 4. Epist. 32. ad Mauritium Augustum, sic scribit: *Cunctis Evangelium scientibus liquet, quòd voce Dominica Sancto & omnium Apostolorum Principi Petro, totius Ecclesiæ cura commissæ est. Ipsi quippe dicitur, Pafce oves meas.*

31. Et Arnobius Romanus (qui vixit circa tempora Augustini) ad Psal. 138. *Ecce Apostolo Petro pœnitenti succurritur, qui est Episcopus Episcoporum, & major gradus redditur ploranti, quàm sublatus est deneganti. Quod ut doceam, illud ostendo, quòd nullus Apostolorum nomen Pastoris accepit. Solus enim Dominus Jesus Christus dicebat: Ego sum Pastor bonus. Hoc ergo nomen Sanctum, & ipsius nominis potestatem, post Resurrectionem suam Petro pœnitenti concessit, & ter negatus, negatori suo, hanc, quam solus habuit, tribuit potestatem: Ut non solum recuperasse, quod amiserat, probaretur; verum etiam & multo amplius pœnitendo, quàm negando perdidit, acquisisse,*

32. Et Eucherius Lugdunensis in vigilia sancti Petri: *Dicite ei, Pasce oves meas. Prius agnos, deinde oves commisit ei; quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oves: Pascit filios, pascit & matres: regit & Subditos & Pralatos. Omnium igitur Pastor est, quia præter agnos & oves in Ecclesia nihil est.*

33. Plures Patres, etiam antiquissimos, citabo postea, cùm diluam objectiones tuas. Ac simul ostendam, eos ipsos, quorum authoritatem nobis objicis, maximè nobis patrocinari.

Nunc Augustini sententia, quæ multum ponderis habet, seorsim discutienda est.

CAPUT QUINTUM.

*Primatus Petri probatur ex
Augustino.*

1. **A**ugustini sententiam conaris tua interpretatione in alium sensum detorque. Ais, nihil eum agnoscere in Petro peculiare, præter hæc duo. Primò, quòd primus fuerit admissus in Apostolatam: Et hinc habuerit aliquam præminentiam seu Primatū. Secundò, quòd ex hac præminentia & Primatu (qui totus consistit in prioritate vocationis) secutum sit, ut figuram totius Ecclesiæ gestaverit. Sic tu, totidem ferè verbis, lib. 1. cap. 10, n. 21, & alibi.

2. Ego contrà assero, Augustinum hæc tria agnoscere in Petro. Primò, quòd verè habuerit Primatum seu Principatum totius Ecclesiæ, non ratione ætatis, aut vocationis præcisè, sed ratione potestatis à Christo ipsi concessæ. Secundò, quòd propter hunc Primatū seu Principatum, sustinuerit personam totius Ecclesiæ, & consequenter etiam Apostolorū ac aliorum fidelium. Sicut Imperator, aut Rex, aut Consul, sustinet personam totius imperij, aut regni, aut civitatis: Et consequenter omnium subditorum, qui in imperio, vel regno, vel civitate sunt. Tertiò, quòd sicut Imperator, aut Rex, aut Consul, quia sustinet personam subditorum, potest eorum nomine, vel respondere, vel pacisci, vel aliud quid facere, juxta juris concessionem; Sic etiam Pe-

trus, quia sustinebat personam totius Ecclesię, solitus sit unus ipse pro omnibus respondere. Hęc tria perspicuè ostendam ex clarissimis Augustini testimonijs.

3. Ac Primò quidem, de Primatu Petri disertè agit lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 1. Ubi recenset hęc verba Cypriani: *Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem aedificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione disceptaret, postmodum vendicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, ut diceret se Primatum tenere, & obtemperari à novellis & posteris sibi potius oportere: nec despexit Paulum, quòd Ecclesia prius persecutor fuisset, sed consilium veritatis admisit, &c.* Deinde, ex sua sententia innox subijcit: *Ecce ubi commemorat Cyprianus, quod nos etiam in scripturis sanctis didicimus, Apostolum Petrum, in quo Primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet, aliter quàm veritas postulabat, de circumcisione agere solitum, à posteriore Apostolo Paulo esse correctum.* Et in frà ibidem: *Puto, quòd sine ulla sui contumelia Cyprianus Episcopus Petro Apostolo comparatur, quantum attinet ad martyry coronã. Caterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam. Quis enim nescit illum Apostolatus Principatum cuiuslibet Episcopatus præferendũ? Sed etsi distat cathedrarum gratia, una est tamen martyrij gloria.*

4. Hic duo notanda sunt: Primò, quod Cyprianus supponat, Petrum habuisse quidẽ Primatum supra Apostolos, qui in eo consistebat,

bat, quòd omnes tenerentur ipsi obtemperare: Sed tamen, nec insolenter, nec arroganter usum fuisse illo Primatu, cùm à Paulo corripere; ut daret nobis Exemplum modestiæ & humilitatis, juxta illud Christi, Matth. 20. 28. & Luc. 22. 26. *Qui major est in vobis fiat sicut minor; & qui præcessor est, sicut ministrator. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Secundò, quòd Augustinus eundem Primatù tripliciter confirmet. Primò his verbis: *In qua Primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet.* Quæ est illa tam excellens gratia? Certè nõ sola vocationis antiquitas, ut tu vis. Quid enim excellens est, si dicam Petrum uno, aut altero die/citiùs vocatum esse ad Apostolatatum, quàm Andream? Quànquam, ut suprà dixi, id falsum est. Deinde illis verbis: *quis nescit illum Apostolatatum Primatum cuiuslibet Episcopatus præferendum?* non ergo omnes Episcopi Petro æquales sunt. Imò Augustinus ait, se vereri, ne sit contumeliosus in Petrum, si illum cõferat cum Cypriano Episcopo, quoad dignitatem Ecclesiasticam. Denique illis verbis: *distat cathedrarum gratia*, id est, major est cathedra Petri quàm Cypriani: major Pontificis, quàm cuiusvis alterius Episcopi.

5. Tu respondes, per cathedram Petri, non intelligi cathedram Romanam, sed Petri Apostolatatum: eumque particularium Episcoporum cathedris præstare. Si enim, inquis, quicumque Apostolatatum excedit potestate quamcunque particularem cathedram, cùm Apostolus quilibet in-

toto mundo possit suum Apostolatum exercere, quod Episcopi jã non possunt, nisi in limitatis Diœcesibus, sive provinciis aut regnis; quanto magis Primi & præcipui Apostoli, aliorũ pluribus nominibus Principis, Apostolatus, singularem quamcunq; cathedrã excedet? Hac responsione te ipsum jugulas. Primò, quia concedis Petrũ potestate Ecclesiastica (de hac n. sermo est) excedere Cyprianũ, & omnes alios Episcopos Ecclesiarum particularium. Major igitur, ex tua concessione est potestas Ecclesiastica in Petro, quàm in alijs Episcopis. At hoc est, quod nos contendimus.

6. Secundò concedis, eundem Petrum potestate Ecclesiastica excedere alios Apostolos. Sic enim argumentaris: Si alij Apostoli potestate Ecclesiastica excedunt Episcopos, Ergo multo magis Petrus. Quæ consequentia non valeret, nisi Petrus eadem potestate excederet alios Apostolos. Sicut patet in simili exemplo. Nam qui sic infert: Si aër excedit calore terram & aquam; Ergo multo magis ignis: Sine dubio supponit, ignem habere plus caloris, quam aërem. At hunc excessum potestatis in Petro nos urgemus. Si ergo illum cõcedis, non nobis, sed tibi contrarius es.

7. Tertiò affirmas, quemlibet Apostolũ ecclesiast. potestate excedere quemlibet Episcopum, cum quilibet Apostolus in toto mundo possit suum Apostolatum exercere, quod Episcopus non potest, nisi in limitato regno aut provincia. At alibi contrarium asseris, nẽpe Apostolos & Episcopos in potestate & jurisdic-

risdictione æquales esse : Et non differre, nisi accidente. Sic n. scribis l. 2. c. 1. n. 3. *Quoscungq; igitur Apostoli eligebant, & ad Ecclesias regendas mittebant, ij proculdubio, parem cum ipsis Apostolis potestatem accipiebant, si vim ipsam institutionis spectemus.* Et ibidem n. 5. *Neq; ego invenio inter verum Apostolum, ac Episcopum, aliud discrimen, nisi quòd Apostolus sit, qui Christum prædicat, tanquam testis oculatus, ab ipso met Christo immediatè missus Episcopus verò sit, qui eundem prædicat, ut testis instructus, & fide illuminatus, ac missus à Christi ministris.* Et iterum n. 7. in fine: *Apostoli, dum alios ad fundandas vel regendas Ecclesias mittebant, eos ad Episcopatum evehebant: totumque ipsorum officium, cum tota potestate ministeriali, eis committebant: Una illa propria personali dignitate excepta, quod essent testes oculati vitæ & Resurrectionis Christi; ab eoque immediatè vocati & missi ad Evangelizandum.*

8. Vides, opinor, contradictionem in hac duplici tua assertionem. Una, Apostoli excedunt potestate Episcopos. Altera, Episcopi ab Apostolis parem potestatem accipiebant. Vel Apostoli Episcopis à se missis committebant totum suum officium cum tota potestate. Respondebis fortè, utramque veram esse diverso sensu. Apostolos enim & Episcopos habere parem potestatem in habitu; non tamen parem in actu. Igitur priorem assertionem veram esse de potestate in actu; posteriorem, de potestate in habitu. Sed hanc ipsam responsionem tu ipse evertis. Nam lib. 2. c. 5. n. 26. sic habes. *Prædicandi*

candi potestatem in toto terrarum orbe, sicut Apostoli non habebant, nisi habitu; Actu verò ibi, ubi jam inter se convenerant, seu ubi eos Spiritus sanctus esse volebat: Ita Episcopi habitu habent eandem universalem potestatem jure divino, eo ipso, quosunt facti rite Episcopi: Actu tamen non sunt Episcopi, nisi sua particularis Ecclesia in qua illos Spiritus sanctus posuit.

Et ibidem: *Ita & jurisdictio in habitu est universalis iure divino, in unoquoque Episcopo in actu verò non est, nisi particularis, sicut erat etiam in Apostolis.* Hic planè idem statuis de Episcopis & Apostolis: tum quoad potestatem & jurisdictionem in habitu, quæ in utrisq; universalis & illimitata est; tum quoad potestatem & jurisdictionem in actu, quæ in utrisque particularis & limitata est. Nihil ergo discernis. Manet igitur verà contradictio, quam posui.

9. Addo, ex tuis verbis manifestè colligi duo alia absurda. Unum est, Paulum nec Apostolum fuisse, nec Episcopum. Non Apostolum, quia non fuit oculatus testis vitæ & Resurrectionis Christi. Nec Episcopum, quia non est immediatè missus à ministris Christi, sed ab ipso Christo. Alterum, aliquos Episcopos habere majorem potestatem & jurisdictionem, quàm Apostolos, si non in habitu, saltè in actu. Nam Apostoli, ut jam dixisti, non habebant jurisdictionem in actu, nisi particularem & limitatam. At aliqui Episcopi habent indifferentem, & non limitatam, ut fateris lib. 2. cap. 1, n. 11, his verbis: *Quicumque ab Apostolis*

Episcopi fiebant, & eandem cum ipsis Apostolis in solidam auctoritatem accipiebant; & sanè uniuersalem in habitu & illimitatam: In actu verò aliqui indifferenter, quocunque eos Spiritus sanctus, aut Apostoli dirigebant, terrarum orbem circumibant: alij verò certis locis consistere iuebantur. Hic distinguis inter Episcopos: Aliqui habent potestatem in actu, limitatam ad certum locum: alij indifferenter ad totum orbem terrarum. At Apostoli, ex tua sententia, non habebant nisi particularem. Minus igitur habebant, quam aliqui Episcopi ab ipsis ordinati & missi.

10. Ecce, Marce Antoni, in quantas angustias te conjicis, dum sententiam Augustini, qui clarè explicat Primatum Petri, conaris obscurare, & per ineptas ambages pervertere. Dic rotundè, quod dixit Augustinus, in Petro Primatum Apostolorum excellenter præeminere: Hunc Primatum cuiuslibet Episcopatus præferendū esse. Sed, ne dubites, adducā alia tria Augustini testimonia pro eodem Primatu.

Primum habetur Epist. 108. ad Seleucianā, statim ab initio, ubi sic ait: *Quòd autem dicitur Petrum egisse pœnitentiam, cavendum est, ne ita putetur egisse, quomodo agunt in Ecclesia, qui propriè pœnitentes vocantur. Et quis hoc ferat, ut primum Apostolorum inter tales pœnitentes numerandum putemus? Quasi dicat: Qui agunt pœnitentiam in Ecclesia, subiecti sunt Prælati Ecclesiæ, & ex illorum arbitrio puniuntur, tanto vel tanto tempore, prout ipsis visum est. At Petrus, tametsi gravissimè peccaverit, negando*

do Christum, non tamen erat subiectus Præ-
 latis Ecclesiæ, cum ipse potius esset Caput &
 Princeps Ecclesiæ; & neminem haberet, ex-
 cepto Christo, à quo puniretur. Nō igitur debet
 inter pœnitētes Ecclesiæ numerari. Quòd hic
 sit sensus Augustini, colligitur ex alijs ipsius li-
 bris, ubi agit de pœnitentia Ecclesiastica, præ-
 sertim in Enchiridio c. 65. ubi sic scribit: *Rectè
 constituuntur ab iis, qui Ecclesia præsumt, tempora
 pœnitētia, ut fiat etiam satis Ecclesia, in qua remit-
 tuntur ipsa peccata: Extra eā quippe non remittun-
 tur.* Et Homil. 27. de utilitate pœnitentiæ, di-
 stinguuit triplicem pœnitentiam: Unam accedentium ad baptismum: alteram quotidianā: tertiam Ecclesiasticam. De hac ita scribit: *Est pœnitentia gravior atque luctuosior, in qua propriè vocantur in Ecclesia pœnitentes; etiam remoti à Sacramento Altaris participandi.* Hujusmodi pœnitentem negat fuisse Petrum, quia non erat subiectus Ecclesiæ, ac proinde Ecclesia non poterat illum remove-re à Sacramēto Altaris.

11. Alterum Augustini testimonium ha-
 betur serm. 124. de tempore, ubi agens de ne-
 gatione Petri, sic scribit: *Ideo B. Petrum paululū Dominus subdeseruit, ut in illo totum genus huma-
 num posset agnoscere nihil se sine Dei gratia prava-
 lere. Et ut Ecclesia Rectori futuro, ignoscendi pec-
 cātibus quadam regula poneretur. Credenda enim erant Petro Apostolo claves Ecclesiæ. Credenda erat ei populorum innumera multitudo, quæ esset pro sua natura vitis, passionibus, culpis, involuta atq; pec-
 catis.* Et infra: *Totius corporis morbum in ipso Ca-
 pite*

pite curat Ecclesia; & in ipso vertice componit membrorum omnium sanitatem, in ipsa confessionis Christi crepidine, in ipso immobilis fidei fundamento, in Petro scilicet illo, qui dixerat. *Etiam si me oporteat mori tecum, non te negabo.* Et ibidem: *Quid agis, o Petre, future Receptor Ecclesie, quid loqueris?* Verba clara sunt. Petrus vocatur Rector Ecclesie, cui infinita populorum multitudo credita est. Vocatur Caput totius corporis Ecclesie: Vertex omnium membrorum Ecclesie: Immobilis fidei fundamentum. Quid quaeris amplius?

12. Tertium testimoniū habetur in Questionibus Veteris ac Novi Testamenti, q. 75. *Quamvis enim autor fortasse non est August. est tamen autor antiquus, & ipsi Augustino equalis, aut antiquior. Dicunt exactores didrachma ad Petrum Apostolum: Magister vester non solvit didrachmam. Quo dicto, Magistrum, ut pro omnibus Discipulis solveret, convenerunt. Salvator autem cum pro se & Petro dari jubet, pro omnibus exsolvisse videtur: quia sicut in Salvatore erant omnes causae Magisterij, ita & post Salvatorem, in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit esse Caput eorum, ut Pastor esset gregis Dominici. Et ibidem: Manifestum est in Petro omnes contineri. Rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur. Semper enim in Praeposito populus, aut corripitur, aut laudatur.*

13. Jam verò (quod secundo loco probandum erat ex Augustino) Petrum ratione sui Primatus, gessisse personam totius Ecclesie, &

quam privato homini; ut quod fuerit naturā unus homo; gratiā unus Christianus; abundā-
tiori gratia, unus Apostolus. Quædam verò,
tanquam personæ publicæ; ut quòd habuerit
Primatum Ecclesiæ; quòd ratione Primatus,
gesserit personam Ecclesiæ, non particularis,
sed generalis seu universalis; quod in persona
Ecclesiæ universalis, acceperit claves regni
cælorum. At tu, Marce Antoni, contra Au-
gustinum doces, Primatum Ecclesiæ, qui à te
configitur, convenire Petro, tanquam priva-
to homini, ratione ætatis & vocationis.

15. Et in lib. de Agone Christiano cap. 30.
*Nusquam tam vigere debent viscera misericordie,
quàm in Catholica Ecclesia, ut tanquam vera Ma-
ter, nec peccantibus filius superbe insultet, nec corri-
ptis difficile ignoscat. Non enim sine causa inter o-
mnes Apostolos hujus Ecclesiæ Catholicæ personam
sustinet Petrus. Huic enim Ecclesiæ claves regni cæ-
lorum datæ sunt, cum Petro datæ sunt. Et cum ei di-
citur, ad omnes dicitur, Amas me? Pasce oves meas.
Debet igitur Ecclesia Catholica correctis & pietate
firmatis filiis libenter ignoscere, cum ipsi Petro per-
sonam ejus gestanti, videamus veniam esse conces-
sam. Ecce, Petrus sustinet personam Ecclesiæ
Catholicæ. Et cum Petro datæ sunt claves nõ
datæ sunt ipsi in privatum usum, sed pro bono
totius Ecclesiæ. Et cum illi dictum est, Pasce o-
ves meas, non illi soli, ut privato homini, sed o-
mnibus illius successoribus dictum est.*

16. Denique, quòd Petrus, quia sustinebat
personam totius Ecclesiæ, solitus sit pro omni-

bus respondere, docet idem Augustinus serm. 31. de verbis Apostoli c. 2. *Respondit, inquit, Petrus unus pro omnibus, quia unitas in omnibus.* Et serm. 13. de verbis Domini c. 1. *Ipse enim Petrus, in Apostolorum ordine Primus, in Christi amore promptissimus, saepe unus respondit pro omnibus.* Ubi per illam particulam, In Apostolorum ordine Primus, intelligit Primatum Petri, non ratione ætatis aut vocationis, sed authoritatis & Præfecturæ, ut ipsemet ibidem explicat c. 2. cum ait: *Idem ergo Petrus à Petra cognominatus beatus, Ecclesiæ figuram portans, Apostolatus Principatum tenens.* De hac re dicam plura cap. sequenti. §. 16.

17. Ex dictis satis constat de sententia Augustini; nec quicquã video objici posse, quàm quòd lib. 1. c. 5. n. 10. objicis, illum dixisse serm. 47. de Sanctis Petro & Paulo: *Beatus Petrus Primus Apostolorum: Beatus Paulus novissimus Apostolorum.* Ex quo inferis, sicut Paulus fuit novissimus vocatione; ita Petrum fuisse primum vocatione: Ac proinde Primatum Petri nihil aliud esse, quàm Primatum vocationis. Sed jam suprâ responsum est, c. 2. §. 21. Nam ibi dixi, Augustinum non connectere illa verba; sed uno loco asserere, Petrum esse Primum Apostolorum; altero, Paulum esse minimum Apostolorum. Non igitur necesse esse, ut quo sensu, unus dicitur minimus, eodem alter dicatur primus. Paulum vocari minimum, id est, indignissimum, propter sua peccata: Petrum vocari Primum, i. e. Principem, ratione Primatus seu præfecturæ.

18. Sed esto, dixerit Augustinus per modū connexionis, Petrum esse Primū, Paulum novissimum; non sequitur, eodem sensu utrumq; dictum esse. Dabo simile exemplum. Christus Marci 9. 34. dixit: *Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, & omnium minister.* Ubi primus & novissimus in eadem sententia connectuntur; & tamen non sumuntur eodem sensu. Nam sensus est: si quis inter vos vult esse primus in gradu vel Prælatura, fiat novissimus, id est, humillimus in ministerio.

CAPUT SEXTUM.

*Primatus Petri probatur ex
prærogativis Petri.*

1. **C**Atholici assignant varia privilegia seu prærogativas Petri, ex quibus colligunt ipsius Primatum & eminentiam supra alios Apostolos: Non quòd unaquæque prærogativa per se sufficiens sit, ad astruendum Primatum; sed quòd omnes simul sumptæ id faciant. Sunt autē hæ præcipuè: 1. Quòd Christus soli Petro inter omnes Apostolos, proprium nomen mutaverit. 2. Quòd quando in Evangelio recensentur nomina Apostolorum, semper primo loco ponatur Petrus. 3. Quòd scriptura loquatur de Petro, tãquam de Principe: de alijs Apostolis, tanquam de subditis. 4. Quòd Petrus sæpè loquatur nomine omnium Apostolorum, tanquam illorum Antefig-
H 3
gnanus.

gnanus. 5. Quod inter omnes Apostolos, soli Petro facta sit prima revelatio divinitatis Christi. 6. Quod soli Petro inter Apostolos promissa sit stabilitas fidei & cathedre. 7. Quod Christus pro solo Petro & seipso voluerit tributum solvi in Capharnaum. 8. Quod post Resurrectionem, inter omnes Apostolos, soli Petro primum apparuerit. 9. Quod Petrus sua auctoritate vocaverit alios ad electionem novi Apostoli, in locum Judæ proditoris. 10. Quod primus promulgaverit Judæis Evangelium, post acceptum Spiritum sanctum. 11. Quod primum miraculum apud Judæos fecerit, in confirmationem Evangelij. 12. Quod etiam primus predicaverit gentibus Evangelium: & quod ipsi soli oblata sit visio cœlestis de vocatione gentium. 13. Quod primus in Concilio Hierosolymitano sententiam dixerit.

2. Certè, hæ prærogativæ, ut alias omitta, manifestè ostendunt, aliquid peculiare fuisse in Petro, quod in alijs Apostolis non fuerit. Quidam illud sit, in eo dissentimus. Tu nihil aliud agnoscis, quàm Primatū ætatis, vocationis & fervoris. Nec putas aliud colligi posse ex prærogativis jã enumeratis. Sed erras, ut sæpe dixi. Primò, quia incertum est, an Petrus ætate omnes alios superaverit. Secundò, nec probare potes ex Evangelio, prius Petrum, quam reliquos ad Apostolatam vocatos esse. Tertiò, nec solus fervor charitatis fuit causa omnium istarum prærogativarum. Quæ omnia clarius patebunt, si singulas prærogativas expendamus.

Prima Prærogativa Petri.

3. **I**gitur prima Petri Prærogativa est, quòd Christus soli ipsi, inter omnes Apostolos, proprium nomen mutaverit. Nam cùm antea vocaretur Simon, postea vocatus est Cephias, id est, Petra (Joan. 1. 42.) quæ prærogativa illi communis est cum Abrahamo, qui cùm antea vocaretur Abram, id est, Pater excelsus, postea vocatus est Abraham, id est, pater multitudinis, seu multarum gentium (Genes. 17. 5.) Major tamè est Petri prærogativa, quam Abrahami. Nam Petrus, idem nomen fortitus est, quod Christus. Cephias enim, & Syriacè, & Græcè sumi potest, teste Optato lib. 2. contra Parmenianum. Syriacè significat petram vel lapidem: Græcè, caput. Utroque nomine appellatus est Christus. Petra quidem seu lapis, super quem fundata est Ecclesia (Matth. 21. 24.) Caput verò, à quo regitur Ecclesia, sicut mulier à viro (Ephes. 5. 23.) Itaque per hanc nominis mutationem voluit Christus significare Petrum fore Caput & fundamentum Ecclesiæ, sicut ipse erat. Sed diversimodè. Nam Christus est Caput & fundamentum primum; Petrus secundarium.

4. Tu respondes (lib. 1. c. 9. n. 1.) Ex hac nominis mutatione, non posse colligi Primatum. Primò, quia non solius Petri, sed etiam aliorum nomina mutata esse legimus. Secundò, quia alij Apostoli nō minus fuerunt petræ seu fundamenta Ecclesiæ, quàm Petrus, juxta il-

lud Ephes. 2. 20. *Superadificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide, Christo Jesu.* Tertiò, quia quòd Petrus fuerit Caput aliorum, non arguit Primatum potestatis aut jurisdictionis, sed tantùm ætatis aut vocationis. Fuit enim Caput illorum, eo sensu, quo primogenitus est caput suorum fratrum.

5. Hęc responsio nulla est. Non n. dicimus, ex sola nominis mutatione, colligi Primatum Petri, sed ex omnibus prærogativis simul sumptis. Deinde falsum est, aliorum Apostolorum propria nomina à Christo mutata esse. Tametsi enim duo filij Zebedæi, Jacobus & Joannes, vocati sint à Christo Boanerges, id est, filij tonitruï, hoc tamen nomen non erat propriũ, sed ambobus commune. Quod autem Matthæus vocatus sit Levi, & similiter Judas vocatus sit Thadæus; non est factum per mutationem, sed per primam nominis impositionem.

6. Ubi obiter hæc duo distinguenda sunt: 1. Impositio vel mutatio nominis ab hominib. facta. 2. Impositio vel mutatio nominis à Deo facta. Et quidem homines fere solent tripliciter mutare vel imponere nomina. 1. ex eventu; & sic fere factum est in lege naturæ. 2. ex nominibus parentum vel cognatorum; & sic factum fuisse in lege Mosaica, colligitur ex illo Luca 1. 61. *Nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.* 3. ex nominibus, vel parentum, vel cognatorum, vel Sanctorum in cælo existentium; & sic passim fit hoc tempore.

7. At

7. At Deus non solet alicui imponere vel dare nomen, nisi ad significandū aliquod mysterium, quod paucis contingit. In Novo Testamento contigit Christo, Joanni Baptistæ, & Petro. Nescio an alicui alteri. De Christo legimus Luc. 1. 30. *Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria: invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesus: Hic erit magnus.* De Joanne Baptista ibidem v. 13. *Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: Et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem, &c. Hic erit magnus coram Domino.* Denique de Petro, Joan. 1. 42. *Intuitus eum Jesus dixit: Tu es Simon filius Jona: Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Ubi etiam, ut in duobus præcedentibus exemplis vel addi, vel intelligi debet: *Et eris magnus.*

8. Et quidem de mysterio, quod latebat in impositione nominis Jesu & Joannis, nihil dicam hoc loco. Res nota est, & alibi tractanda. De mysterio autem, quod Catholici agnoscunt, in mutatione nominis Petri, scribit Augustinus tract. 7. in Joannem, post medium his verbis: *Magnum, quia mutavit ei nomen, & fecit de Simone Petrum.* Et infra: *Si hoc antè Petrus vocaretur, non ita videres mysterium Petra, & putares casu eum sic vocari, non providentia Dei. Ideo voluit eum aliud prius vocari, ut ex ipsa commutatione nominis, Sacramenti vivacitas commendaretur.* Et Leo Magnus Epist. 87. ad Episcopos provinciæ Viennensis, de Petro sic loquitur:

Hunc enim in consortium individua unitatis assumptū, id quod ipse erat, voluit nominari, dicēdo, Tu es Petrus, & super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam (quæ verba cap. 4. explicata sunt.)

Et serm. 3. de Assumptione sua ad Pontificatū, introducit Christum loquentem ad Petrum: Sicut meus Pater tibi manifestavit divinitatem meam; ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus, id est, cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unū; ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi, potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. Et Prosper Aquitanicus lib. 2. de vocatione gentium, cap. 28. Quis ergo ambigat, quis ignoret, hanc fortissimam petram, quæ ab illa principali Petra communionem, & virtutis sumpsit, & nominis? &c.

9. Hic vides, Marce Antoni, quid Patres sentiant: Et quàm longè absis ab illorum sententia, qui mysterium, quod illi Magnum agnoscunt, parvi æstimas. Porro quòd addis, alios Apostolos non minus esse petras seu fundamenta Ecclesiæ, quàm Petrum, temerarium est. Audi. Constat ex Scriptura, & Christum, & Petrum, & reliquos Apostolos vocari fundamentum seu petram, super quam Ecclesia edificata est; sed diverso modo. Solus Christus est fundamentum primarium, quod sua firmitate consistit, juxta illud I. Corinth. 3. 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. Præter Christum,*

stum, Prophetæ & Apostoli sunt fundamenta secundaria, Ephes. 2. 20. *Superadificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide, Christo Jesu.* Nam illi, per prædicationem fidei & doctrinæ Christianæ, sustentant Ecclesiam: Vel, quod idem est, illorum doctrinæ & prædicationi incumbit Ecclesia. Et reliqui Christiani super illorum fidem & doctrinam superædificantur. Inter secundaria verò, primum locum tenet Petrus, cui speciatim dictum est, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prævalebunt adversus eam.* Ubi aliquid peculiare illi promittitur, quod alijs Apostolis promissum non est. Nimirum firmitas, constantia, & stabilitas, quæ per petram significatur. Quæ etiam alibi alijs verbis illi promissa est, Luc. 22. 32. *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.*

10. Igitur Christus est fundamentum Ecclesiæ primum, & (ut loquitur Augustinus in Psalm. 86.) *fundamentum fundamentorum.* Est lapis angularis, qui connectit inter se duos parietes, id est, Judæos & gentiles (Ephes. 2. 12. & seqq.) est ostium seu janua, per quam ingredi-mur in Ecclesiam, (Joann. 10. 9.) Apostoli & Prophetæ sunt fundamentum secundarium, quia illorum doctrina & prædicatio fundatur in Christo: quem Prophetæ futurum prædixerunt; Apostoli præsentem annunciarunt. Hoc peculiare habet Petrus, quòd ipse cura

suis Successoribus habeat prærogativam constantiæ & firmitatis in fide, quam reliqui Apostoli cum suis successoribus non habuerunt. Ipsi quidem in suis proprijs personis manserunt constantes (excepto Juda) sed in Successoribus defecerunt. Sola Cathedra Petri habet hoc privilegium. De quo plura dicturus sum in sexta prærogativa.

11. Jam verò, quod tertio loco objicis, ex eo, quod Petrus fuit Caput Apostolorum, non posse colligi Primatum potestatis, sed tantum ætatis aut vocationis; & frivolum est, & sæpè refutatum. Non audes negare, quod omnes boni authores asserunt, Petrum fuisse Caput Apostolorum. Quid ergo? Fingis ideo Caput fuisse, quia erat ætate senior, vocatione antiquior. Nimirum, ut tollas Primatum, qui certus est; excogitas alium, qui incertus est.

Secunda Prærogativa.

12. **A**ltera prærogativa est, quod quando in Evangelio recensentur nomina Apostolorum, semper primo loco ponatur Petrus, tanquam Princeps & Antesignanus, ut Matth. 10. 2. *Duodecim Apostolorum nomina sunt hæc: Primus, Simon qui dicitur Petrus, &c.* Idem fit Marc. 3. 16. & Luc. 6. 14. & Act. 1. 13. Tu respondes, ut soles, (lib. 1. cap. 9. n. 2.) Petrum primo loco nominari, quia erat primus ætate & vocatione. Nondum id probasti. At ego facile probem, fuisse Primum autoritate & jurisdi-

risdictione: sic enim Patres explicant illā particulam, *Primus*. Et ratio sumitur ex ipso contextu. Nam si Petrus, in ista enumeratione Apostolorū, diceretur *Primus* ordine ætatis aut vocationis; tunc reliqui, qui ponūtur post Petrum, ponerentur etiam juxta ordinem ætatis aut vocationis. At hoc falsum est. Imò, nullus ferè inter eos servatur ordo. Nam apud Matthæum, post Petrum, nominatur Andreas: apud Marcum, non Andreas, sed Jacobus: apud Lucam in Actibus, Joannes. Idē fit in reliquis Apostolis. Aliquando Matthæus præponitur Thomæ, aliquando postponitur. Et sic deinceps. Debet ergo assignari causa, quare Petrus semper nominetur primo loco; reliqui nullo certo ordine. Nec potest alia dari, quam quod Petrus nominetur, ut superior; reliqui, ut inter se æquales, & solo Petro inferiores.

13. Et sanè, quod Petrus, ratione ætatis, non ponatur primo loco (etiam si demus fuisse seniorem omnibus, quod tamen non damus) facilè convincam ex tua ipsius concessione. Fateris, Petrum, quia Senior erat, fuisse quasi primogenitum inter Apostolos; Ac proinde, sicut primogenitus solet primo loco numerari inter fratres, ratione primogenituræ; ita de Petro statuendum esse. At contrarium ostendam ex scriptura. Nam Ruben (quo exemplo tu uteris) fuit primogenitus inter duodecim filios Jacob: Et tamen non semper nominatur primo loco, ut patet Apoc. 7. 5. ubi Judas illi præponitur. Nec desunt similia Exempla. Inter

ter filios Isai, primogenitus fuit Eliab, & præfertur illi David (1. Reg. 16.) Rursum inter filios David, Adonias fuit senior Salomone, & tamen præfertur ei Salomon (4. Reg. 2.) Ergo ex eo, quod aliquis ætate senior est, non statim sequitur, alijs præferendum esse. Unde ergo probas, Petrum, eo titulo, quia senior erat, primum locum inter Apostolos obtinuisse? Non video.

Tertia Prærogativa.

14. **T**ertia prærogativa est, quòd scriptura loquatur de Petro, tanquam de Principe; & de alijs Apostolis tanquam de subditis. Marc. 1. 36. *Et persecutus est eum Simon, & qui cū ipso erant.* Et Luc. 8. 45. *Dixit Petrus, & qui cum illo erant.* Et Luc. 9. 32. *Petrus verò, & qui cum illo erant.* Et Act. 2. 14. *Stans Petrus cum undecim.* Et alibi sæpius. Quimodus loquendi usitatus est in scriptura, & significat Principem cum suis subditis, ut manifestè constat ex sequentibus testimonijs. 1. Reg. 30. 4. *David, & populus, qui erat cum eo.* Et infra v. 9. *David & sexcenti viri, qui erant cum eo.* Et 2. Macchab. 8. 1. *Judas Macchabeus, & qui cum illo erant.* Et cap. 10. 1. *Macchabeus autem, & qui cum eo erant.* Et cap. 11. 6. *Ut autem Macchabeus, & qui cum eo erant.* Et Apoc. 12. 7. *Michael & Angeli ejus præliabantur.* Sicut ergo ex hac loquendi forma rectè colligimus, Davidem, Judam Macchabæum, & Michaelem Archangelum fuisse Principes respectu eorum qui cum ipsis erant: Sic etiam col-

colligimus ex simili loquendi forma, Petrum fuisse Principem Apostolorum.

15. Hic iterum repetis tuam cantilenam, non alium Primatum ex hac prærogativa colligi posse, quàm ætatis & vocationis. At jam ostendi, ex modo loquendi scripturæ, plus colligi posse ac debere. Nisi forte existimes, etiã Michaelem, Davidem, & Judam Macchabæum, non alio titulo, quàm ætatis aut vocationis suos socios præcessisse. Quod ridiculum est. Nam inter Angelos, alius alio senior non est, nec unquam probabis ex scriptura, Michaelem ante alios ad officium Angelorum à Deo vocatum esse. Idem dico de Davide & Macchabæo. Non probabis, utrunque, & ætate, & vocatione ad militiam, suos socios superasse. Sicut nec de Petro id hæctenus probare potuisti. Mera figmenta sunt, quæ adfers.

Quarta Prærogativa.

16. **Q**uarta prærogativa est, q̄ Petrus sæpè loquatur nomine omniũ Apostolorũ, tanquam illorum Antesignanus, ut Matth. 16. 15. *Dicit illis Jesus: vos autem, quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus filius Dei vivi.* Et Matth. 19. 27. *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te* Et Luc. 12. 41. *Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes?* Et Joan. 6. 68. *Dixit ergo Jesus ad duodecim: nũquid & vos vultis abire? Respondit ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? Verba vite æterna habes.*

17. Ex his Patres colligunt Primatum Petri.

tri. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Joannem. c. 18. *Per unum, qui praeerat, omnes respondent. Et lib. 12. c. 64. Cum Salvator à Discipulis quareret: Vos autem, quem me esse dicitis? Petrus ut Princeps Caputque ceterorum, primus exclamavit. Tu es Christus filius Dei vivi. Et aliter Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 11. Omnibus Apostolis reticentibus (supra vires enim erat haec doctrina) Petrus Princeps Apostolorum, & supremus Ecclesiae Præco, dicit ad ipsum, Tu es Christus filius Dei vivi. Et Paulus Emissenus Homil. de Christi Nativitate: Nonne Petrus, Apostolorum Coryphæus, eorundemq; os respondit, Tu es Christus filius Dei vivi. Et Cyprianus lib. 1. Epist. 3. ad Cornelium, longè ante medium: Petrus tamen, super quem aedificata ab eodem Domino fuerat Ecclesia, unus pro omnibus loquens, & Ecclesiae voce respondens ait: Domine, ad quem ibimus? Augustinus idem sentit, ut cap. præcedenti ostensum est.*

18. Habemus similia exempla in scriptura. Nā Christus, quia erat supremus Princeps omnium, sæpè loquebatur pro alijs. Verbi gratia. Quando Pharisei quærebant ex Apostolis: *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?* Respondit Christus ipsorum nomine: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus* (Matth. 9. 11.) Item cum ijdem Pharisei Apostolis spicas Sabbatho vellentibus dicerent: *Quid facitis, quod non licet in Sabbathis?* Respondit pro illis Christus: *Nec hoc legitis, quod fecit David cum esurisset ipse, &c.* (Luc. 6. 2.) Et sic deinceps.

Quinta Prærogativa.

19. **Q**uinta est, quòd inter omnes Apostolos, soli Petro facta sit prima revelatio Divinitatis Christi Matth. 16. 17. *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis nō revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.* Quare præ cæteris beatus? Quia præ cæteris, à Patre cœlesti revelatum illi erat, *Tu es Christus filius Dei vivi.* Magnum sine dubio privilegium, De quo Hilarius in Ps. 131. Athanasius serm. 4. contra Arianos, Augustinus serm. 124. de tempore, Leo serm. 3. de Assumptione sua ad Pontificatum.

20. Tu tamen, tuo more, conaris hoc Petri Privilegium extenuare (lib. 1. cap. 9. n. 4.) & tria objicis, Primò, Nathanaëlem citiùs quàm Petrum, confessum esse Divinitatem Christi, cum dixit Joann. 1. 49. *Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Israel* Secundò, Joannem Baptistam, & citiùs, & meliùs, quàm Petrum id fecisse. Joan. 3. 30. *illum oportet crescere, me autem minui.* Denique ipsum Petrum, antequam faceret hanc confessionem, *Tu es Christus filius Dei vivi*, jam antea cum alijs Apostolis agnovisse Christi Divinitatem, Joan. 6. 70. *Et nos credidimus, & cognovimus, quia tu es Christus filius Dei.*

21. Nihil efficis, Marce Antoni. Nam primò, quod adfers de Nathanaële, incertum est, an ipse eodem sensu, quo Petrus, dixerit, *Tu es Christus filius Dei.* Multi negant, asserentes Petrum locutum esse de Filio Dei naturali; Nathanaëlem de Filio Dei adoptivo. Plus, igi-

Petrum confessum esse, quàm Nathanaelem. Hunc, solam sanctitatem & justitiam: Illū, Divinitatem confessum esse. Ita Chrysoſtomus Homil. 20. in Joannem, Theophylactus & Eutymius in c. 21. Joannis. Quos sequitur Cardinalis Bellarminus. Tu contrā sentis, utrumq; tam Nathanaelem, quàm Petrum, confessum esse Christi Divinitatem. Et probas auctoritate Augustini tract. 7. in Joannem, Chrysoſtomi Homil. 19. in Joannem, & Cyrilli lib. 12. thesauri cap. 15.

22. Sed falsò. Nam Chrysoſtomus Homil. 19. (quam tu citas) nihil habet, quod juvare te possit. At Homil. 20. (quam ego cito) planè cōtra te est. Verba ejus sunt hæc: *Et si iisdē verbis, & Petrus, & Nathanael usi sint, non tamen idē ambo senserunt: Sed Petrus Filium Dei, tanquam verū Deum; Nathanael, tanquam hominem tantū cōfessus est, quod ex consequentibus constat. Addit enim, Tu es Rex Israel, Filius a. Dei, non modò Israel, sed universi orbis terrarum Rex est. Quod etiam inde ostenditur, quòd Petro nihil amplius addidit Christus, sed tāquam perfectò in fide, Ecclesiam suā ejus testimonio adificaturum pollicitus est Nathanaeli a. tanquā potiori in parte deficienti subdidit: Amen Amen dico vobis, a modo videbitis cælum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis. Animadvertis, quomodo eum à terra paulatim erigit? quomodo animum excitat, ne amplius simplicem hominem conjectetur? Cui n. Angeli ministrant, & super quem ascendunt & descendunt, quonam pacto hominem esse existimabitur?*

23. Nunc vides imposturam tuam in citando Chrysoftomo. Certe Chrysoftomus nō solum asserit, quod Bellarminus asserit, sed etiam validis argumentis confirmat. Quod etiā facit Theophylactus in cap. 1. Joannis, ubi sic scribit: *Nathanaeligitur, auditis illis, cœpit sentire magnitudinem Domini, quantum tunc possibile erat, & fatetur illum filium Dei. Veruntamen, quāvis filium Dei fateatur, non tamen sicut Petrus. Nā Petrus quidem confessus est Filium Dei: ideo & beatus predicatur, & Ecclesia ei conceditur. Nathanael verò, ut hominem nudū quidem eum fatetur, gratia autem propter virtutem, adoptatum in Filium Dei. Et hoc manifestum est ex eo, quod subditur: Tu es ille Rex Israel. Vides, quòd nondum venerat ad perfectam cognitionem verae Deitatis Unigeniti. Etenim quasi amicum Dei, & quasi Regem Israel, eum credit esse. Quòd si verè eum Deum esset confessus, non dixisset, eum Regem Israel, sed Regem Universi. Unde non predicatur beatus, sicut Petrus. Et Dominus corrigens eum, & inducens ad cognoscendum quiddam dignum sua Deitate; Videbitis, inquit, Angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis. Ne enim, inquit, suspiceris nudum hominem, sed Dominum Angelorum. Cui enim Angeli ministrant, is atique non fuerit purus homo, sed verus Deus.*

24. Eadem fraude usus es in citando Augustino. Nam ille quidem loco citato, sic scribit de Nathanaele: *Talem vocem protulit, Tu es Filius Dei, Tu es Rex Israel: Qualem tantò post Petrus, quando ei Dominus ait: Beatus es Simon*

Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est. Hic nihil aliud dicit, quàm Nathanaëlem protulisse talem vocem, qualem Petrus protulit; quod etiam dicit Chrysostomus. An autem eo sensu protulerit, non dicit ibi Augustinus. Cur ergo fingis hoc illum dicere? Audi verò, quid dicat, serm. 124. de tempore: *Hic est Petrus, inquit, qui divina revelatione, prior omnium veritatē meruit confiteri, dicens. Tu es Christus Filius Dei.* Ubi nota particulam illam, *Prior omnium.* Quam etiam ponit Athanasius serm. 4. contra Arrianos.

25. Sed esto: Demus tibi (quod necesse nō est) Nathanaelem prius, quàm Petrum, confessum esse Christi Divinitatem: demus etiam Joannem Baptistam (de quo certius est) idem fecisse. An ideo sublatum putas Petro suum privilegiū? Nullo modo. Manet illi suum Privilegium commune quidem cum Joanne & Nathanaele, sed tamen proprium, respectu Apostolorum, cum quibus illum hoc loco conferimus. Nam ille prius quàm alij Apostoli, confessus est Christi Divinitatem: Ille præ alijs Apostolis meruit audire à Christo, *Beatus es Simon Barjona.* Nec obstat, quòd idem Petrus, ante illam confessionem, de se & alijs Apostolis dixerit: *Nos credidimus & cognovimus, quia Tu es Christus Filius Dei vivi;* nam etiā inde colligitur, Petrum, sicut præ alijs loquebatur, ita ante alios credidisse, & cōfessum esse Christi Divinitatem. Quod tu ipse concedis lib. 1. c. 5. n. 4. ubi cum Ambrosio tribuis Petro Primatum

matum confessionis, & Primatum fidei. Unde etiam manifestè constat, te, studio contradicendi Catholicis, tibi ipsi contrarium esse: Nam loco citato contendis contra Catholicos, Petrum non habere Primatum potestatis aut jurisdictionis, sed fidei & confessionis. At cap. 9. n. 4. ubi contra Catholicos oppugnas Privilegia Petri, negas Petrum Primum esse inter Apostolos, qui Christi Divinitatem crediderit, & confessus sit. Hoc solenne tibi est.

26. Queritur hîc, non à te, sed ab alijs bonis authoribus: Cùm Petrus bis confessus fuerit Christi Divinitatem; semel Joan. 6. 70. *Nos credidimus; quia tu es filius Dei;* & semel Matth. 16. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi;* cur priori loco nullam meritis sit laudem à Christo; posteriori verò dictum illi sit, *Beatus es Simon Bar-Jona?* Respondeo. Hoc ideo factum est, quia priori loco multi ex discipulis discedebant à Christo, & non credebant, quæ ab ipso dicebantur de manducanda sua carne, & bibendo suo sanguine. Unde postea dicebat, *Nunquid & vos vultis abire?* Tunc respondit Petrus: *Nos credidimus & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.* Ne ergo Petrus, si à Christo laudaretur, præferret se alijs, qui recesserant à Christo, & sibi de sua perseverantia blandiretur; noluit illum Christus laudare. At posteriori loco, non erat occasio Superbiæ; ideoque dixit illi Christus, *Beatus es Simon Bar-Jona.* Vide Theophylactum & Toletum in c. 1. Joannis.

Sexta Prærogativa.

27. **S**exta est; quòd soli Petro, inter omnes Apostolos promissa sit constantia fidei, & cathedræ. Et quidem duobus locis. Primò, Matth. 16. 18. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prævalebunt adversus eam.* Deinde, Lucæ 22. 32. *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua* Quod ad priorem promissionem attinet, juxta Hebraicum textum, quo Matthæus scripsit Evāgeliū, non est illa generis differentia inter Petrum & Petram, sed utrobique eodem genere dicitur: *Tu es Petra, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Perinde ac si dicas: *Tu es Petra, supra quam ædificabo Ecclesiam meā.* Unde manifestum est, per petram non posse aliud intelligi, quàm ipsum Apostolum Petrū, qui est quasi lapis, seu petra fundamentalis, super quam ædificata est Ecclesia. Et quamvis non solus Petrus, sed etiam reliqui Apostoli sint lapides fundamentales, ita ut simul sint Duodecim (juxta illud Apoc. 21. 14. *Et murus civitatis, id est, Ecclesie, habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim, nomina duodecim Apostolorum Agni*) tamen reliquis Apostolis, & illorum Successoribus, non est promissa constantia & firmitas, quæ Petro & illius Successoribus promissa est. Unde Cathedra Petri & Successorum ejus adhuc firma consistit, nec in ea hæctenus defecit fides Catholica, ut benè advertit Augustinus in Psalmo, contra partem

tem Donati, ubi ait: *Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri Sede: Et in ordine illo Patrum, quis cui successit, videte Ipsa est Petra, quam non vincunt superba inferorum porta.* At Cathedræ aliorum Apostolorum, quia non habuerunt hanc promissionem in Successoribus, pridem collapsæ sunt, ut Cathedra Jacobi Hierosolymitana; Cathedra Joannis Ephesina; Cathedra Matthæi Æthiopica; Cathedra Andreæ Scythica.

28. Quòd autem per petram, super quam Ecclesia ædificata est, debeat intelligi Petrus Apostolus, docent antiqui Patres. Origenes Homil. 5. in Exodum: *Vide, magno illi Ecclesie fundamento & Petra solidissima, super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur à Domino.* Et in Psalm. 1. *Petrus, super quem Christi Ecclesia ædificata est, contra quam inferorum porta non prævalebunt.*

Et Basilius Magnus ad cap. 2. Isaia: *Unus ex his montibus fuit Petrus, quem Petram appellavit, propter maximam firmitatem fidei, propter infractum animi robur ad non cedendum inflictiis plagis tentationum: super quam Petram promisit ædificare Ecclesiam suam.* Et lib. 2. contra Eunomium: *statim ex hac voce, Petra, intelligimus Petrum Joannæ filium, qui fuit ex Bethsaida, Andrea fratrem, qui quoniam fide præstabat, Ecclesia sibi commissam ædificationem suscepit.*

Et Epiphanius in Ancorato: *Ipse Dominus constituit Petrum Primum Apostolorum, Petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est, & porta inferorum non valebunt adversus illam.*

Et Chrysoſtomus Homil. in Petrum & Heliam: *Sed vide, cujuſmodi peccato permisit ſubiici Petrum, illum talem ac tantum virum Apoſtolorū verticem, fundamentum immobile, & petram ſtabilem, quæ non poſſet concuti.*

Et Cyrillus lib. 2. in Joannem cap. 12. *Intuitus autem eum Jeſus dixit: Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas, &c. Vocabulo ipſo commodè ſignificans, quod in eo, tanquam in Petra lapideque firmiſſimo, ſuam eſſet edificaturus Eccleſiam.*

Et Theophylaſtus ad cap. 16. Matthæi. *Remunerat Petrum Dominus, mercedem illi dans magnam, quod ſuper eum adificavit Eccleſiam. Et ad cap. 22. Lucæ. Tu verò converſus confirma fratres tuos. Planus hujus intellectus hic eſt: Quia te habeo, ut Principem Diſcipulorum, poſtquam negato me ſceveris, & ad pœnitentiam veneris, confirma ceteros. Hoc enim te decet, qui poſt me Eccleſia petra es, & fundamentum.*

Et Hieronymus in cap. 16. Matthæi: *Secundum Metaphoram Petra, rectè dicitur ei, Adificabo Eccleſiam meam ſuper te.*

Et Cyprianus lib. 4. Epistolæ 9. ad Pupianum, poſt medium: *Loquitur illic Petrus, ſuper quem adificanda fuerat Eccleſia.*

Et Auguſtinus ſerm. 15. de Sanctis. *Petrum itaq; fundamentum Eccleſiæ Dominus nominavit, & ideo dignè fundamentum hoc Eccleſia colit, ſupra quod Eccleſiaſtici aſſicij altitudo conſurgit.*

29. Ex horum Patrum authoritate conſtat, Petrum eſſe fundamentum Eccleſiæ, eſſe Petram ſolidam firmam, ſtabilem, immobilem, ſuper

super quam Ecclesia Christi fundata est. At objicis, non deesse alios Patres, qui per petrā non intelligunt ipsum Petrum, sed fidem seu confessionem Petri. Respondeo. Utrumque intelligunt, & Petrum ipsum, & confessionē Petri. Nam cū asserunt, Ecclesiam fundatā esse super fidem & confessionem Petri, volūt significare, fundatam esse super Petrum, propter illius fidem & confessionem, ut rectē notat Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Pontifice c. 10. circa finem, & Maldonatus ad c. 16. Matthæi. Et modus ille loquendi ulitatus est. Usitatē enim dicimus, in unius hominis prudentia & fidelitate fundatam esse Rempublicam, id est, in uno homine, propter ipsius prudentiam & fidelitatem. Item, valetudinem Imperatoris pendere à peritia unius medici, i. e. ab uno Medico, propter insignem illius peritiam.

30. Sed iterum objicis (lib. 1. cap. 6. n. 14. & seqq.) hanc explicationem non esse secundū mentem illorum Patrum. Nam illos loqui de fide, abstrahendo à persona Petri. Et sic omnino loquendum esse, probas hac ratione: *Fides in Petro, vel est ratio finalis, cur Petrus sit fundamentum; & sic ubique, ubi erit illa fides, erit fundamentum: vel est tantum conditio, sine qua Petrus non esset fundamentum; & sic locutio est valde impropria.* Respondeo. Apertē pugnas cum scriptura, quæ Christum, Apostolos, & Prophetas vocat fundamenta Ecclesiæ, ut dictum est. Si ergo Christus est fundamentum, si Apostoli & Prophetæ sunt, cur Petrus esse non possit?

Et, si super Christum, Apostolos, & Prophetas ædificata est Ecclesia, cur supra Petrum ædificari non potuit? Aut è contrario, si fundamentum Ecclesiæ non est Petrus, sed fides separata à persona Petri; cur non simili modo dicis, nec Christum, nec Prophetas, nec Apostolos esse fundamentum Ecclesiæ, sed aliquid aliud separatum ab illorum persona? Hic responde, si potes.

31. Ratio, quam adfers, nihil efficit. Primò, quia non sequitur, quod infers in priori membro; Si fides in Petro est finis, propter quem Petrus est fundamentum: Ergo ubicunque est fides, ibi erit fundamentum. Sicut in simili non sequitur; Si sanitas est finis, propter quem sumitur medicina: Ergo ubicunque est sanitas, ibi est medicina. Sed suspicor mēdum esse in tuo exemplari, & pro illa particula, *Ratio finalis*, ponendam esse istam, *Ratio formalis*. Sed tunc, omisso priori membro, negandum est quod infers in posteriori, de impropria locutione. Jam enim ostendi, usitatè dici posse, Petrus est Petra Ecclesiæ propter confessionem fidei. Denique, præter duo membra, quæ assumis, datur tertium, nempe, confessio fidei est causa moralis, propter quam Petrus est Petra Ecclesiæ. Sicut virtus est causa moralis, propter quam aliquis eligitur in Episcopum. Et meritum Christi est causa moralis nostræ justificationis: Et intercessio Principis est causa moralis, propter quam quis admittitur in aulam Imperatoris. Nam Petrus per
con-

confessionē fidei, quodammodo meritus est, ut fieret Petra Ecclesiæ. Et hoc sensu loquuntur Patres. Maximus Taurinensis Homil. 3. in natali Apostolorum Petri & Pauli: *Quanti, inquit, meriti apud Dominum suum Petrus erat, ut ei totius Ecclesiæ gubernacula traderentur.* Et Theophylactus ad cap. 16. Matthæi: *Remunerat Petrum Dominus, mercedem illi dans magnam, quòd super eum adificavit Ecclesiam.* Et alij.

32. Sed ut magis percipias, quā inepta sit tua ratio, duo quærā ex te: Unum, si fides, abstrahendo à Personā Petri, est fundamentum Ecclesiæ, ut tu vis; vel abstrahis illam à solo Petro, vel ab omnibus universim. Si à solo Petro, & non ab alijs, quid causæ? Si ab omnibus, non erit ratio, cur Apostoli potiùs dicantur fundamenta Ecclesiæ, quàm alij Christiani. Quæ enim esse potest, si fides est fundamentum, abstrahendo ab omnibus? Alterum, quo sensu Christus dicatur esse fundamentum? An agnoscis aliquid in Christo, quod sit fundamentum Ecclesiæ, abstrahendo à persona Christi? An verò aliquid, quod sit ratio formalis vel conditio, sine qua Christus non esset fundamentum? Hic redit tua quæstio. Ad quam responde. Sin minus, paulo post ego respondebo.

33. Quod objicis, Patres loqui de fide separata à Petro, partim falsum est; partim illorum sententiam non assequeris. Falsum est de ijs, qui apertè asserunt, Petrum esse fundamentum Ecclesiæ propter confessionem fidei. Reliquos non intelligis. Ut intelligas,

ligas, explicandum est, quomodo Christus, quomodo Petrus, quomodo reliqui Apostoli, quomodo item fides dicatur esse fundamentum Ecclesiæ. Igitur hæc tria distinguenda sunt. Primò, fides in Christum, quæ in eo consistit, ut credas Christum esse filium Dei, verum Deum ac verum hominem. Secundò, confessio illius fidei, de qua Apostolus Rom. 10. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Tertiò, prædicatio ejusdem fidei, de qua ibidem vers. 14. *Quomodo credent ei, quæ non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur?* Juxta hanc distinctionem, hæc tres propositiones veræ sunt. Prima Christus est primum fundamentum Ecclesiæ, ratione fidei circa ipsius Divinitatem & incarnationem. Secunda, Petrus est secundarium fundamentum Ecclesiæ, ratione confessionis illius fidei, quæ fecit dicendo: *Tu es Christus Filius Dei vivi:* habens annexam promissionem stabilitatis pro se & suis Successoribus. Tertia, Apostoli sunt secundaria fundamenta Ecclesiæ post Petrum, ratione prædicationis ejusdem fidei in Christum: non habentes annexam promissionem stabilitatis in suis Successoribus.

34. Juxta primam propositionem intelligendum est illud 1. Corinth. 3. 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.* Ubi Christus dicitur fundamentum, ratione fidei circa ipsius Divinitatem, ut explicat Gregorius lib. 7. Epist.

pist. 47. Anshelmus, Cornelius de Lapide, & alij in commentario illius loci. Quod intelligunt de fide viva, quæ per charitatem operatur, ut loquitur idem Apostolus ad Galat. 5. 6. Verba Gregorij sunt hæc: *Fundamentum aliud nemo potest ponere &c. Quisquis ergo in dilectione Dei & proximi, fidei, qua in Christo est, firmitatem tenet, eundem Jesum Christum, Dei & hominis filium, apud se posuit fundamentum.*

35. Juxta secundam intelligendum est illud Matth. 16. 17. *Beatus es Simon Bar-jona, propter confessionem fidei, quam Deo Patre inspirante fecisti, dicens: Tu es Christus filius Dei vivi.* Propter hanc confessionem, *super te, tanquam petram firmam ac stabilem, aedificabo Ecclesiam meam: Et porta inferi non prævalebunt adversus eam.* Quare? quia confessio fidei, quam fecisti, nunquam defectura est in te & Successoribus tuis. *Ego enim pro te rogavi, ut non deficiat fides tua.*

36. Juxta tertiam intelligendum est illud Ephes. 2. 20. *Super aedificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, id est, super Apostolos & Prophetas, qui propter prædicationem fidei in Christum sunt fundamenta Ecclesiæ secundaria.* Et super hæc fundamenta proximè & immediatè superædificantur alij Christiani, qui per illorum prædicationem ad fidem Christi convertuntur. Vide Cornelium de Lapide ibidem.

37. Ex dictis facilè intelligi & conciliari possunt Patres, quos adduxisti. Nam aliqui loquun-

loquuntur de fide Christi, juxta primam propositionem. Et sic fides separari potest à Petro, non tamen à Christo, qui est principale objectum illius fidei. Sic loquitur Bernardus Epist. 194. cum ait: *Testante Apostolo, sicut unus Deus, una fides esse dignoscitur, in qua, tanquam immobili fundamento, prater quod, nemo aliud potest ponere, firmitas Ecclesie Catholica inviolata consistit.* Alij loquuntur de confessione fidei, juxta secundam propositionem: Et sic fides non potest separari à Petro, quia solus Petrus est, qui propter hanc fidei confessionem meritus est appellari Petra seu fundamentum Ecclesie. Sic loquitur Stephanus Papa à te citatus ex Baronio: *Catholica, inquit, Christi & Dei nostri Ecclesia, fundata super firmam Petram, Apostoli videlicet Petri confessionem.* Et plures alij.

33. Maneat igitur certum fixumque, sextam Petri Prærogativam in eo consistere, quod ipsi soli cum suis Successoribus, non autem reliquis Apostolis cum suis Successoribus, promissa sit constantia fidei & cathedræ: Et quòd ideo dicatur firma petra, super quam ædificata est Ecclesia nunquam ruitura.

Septima Prærogativa.

39. **S**eptima est, quòd Christus pro solo Petro & seipso, non pro alijs Apostolis, voluerit tributum, nempe staterem seu didrachmum solvi in Capharnaum Matth. 17. 26. *Da eis pro me & te.* Nimirum, ut ostenderet, Petrum alijs præferendum esse, & ipsum solum cum
Chri-

Christo, tanquam Vicarium cum suo Domino fociandum, ut explicant Augustinus lib. quæstionum Veteris ac Novi Testamenti q. 75. Hieronymus ad cap. 18. Matthæi, circa initium, Theophylactus ibidem, Chrysostomus Homil. 59. in Matthæum, & alij plures. Ponam illorum verba.

40. Augustinus sic scribit: *Salvator autem, cum pro se & Petro dare jubet didrachma, pro omnibus exsolvisse videtur; quia sicut in Salvatore erant omnes cause Magisterij, ita & post Salvatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit Caput eorum, ut esset Pastor gregis Dominici.*

Hieronymus sic: *Post inventum statèrem, post tributa reddita, quid sibi vult Apostolorum repentina interrogatio: Quis putas major est in regno cælorum? Quia viderant pro Petro & Domino idem tributum redditum, ex aequalitate pretij arbitrati sunt, Petrum omnibus aliis Apostolis esse prælatum; qui in redditione tributi, Domino fuerat comparatus. Ideo interrogant: Quis major sit in Regno cælorum?*

Theophylactus sic: *Quia viderant Petrum à Christo honoratum, (honoratus enim erat hic, dando statèrem pro Christo & pro se) & propterea humanum quiddam passi, invidiaque accensi, obliquè accedunt interrogantes Dominum, quis maximus esset?*

Chrysostomus circa illa verba, *Da eis pro me & te*, sic subjicit. *Vidisti honoris excellentiam. Vide nunc, quanta Philosophia utitur Petrus. Hunc enim locum Marcus, qui Petri Discipulus fuit, id-*

eo videtur non scripsisse, quoniam ingens hinc honor Magistro deferrebat. Sed negationem quidem ille diligentissimè scripsit: Hac verò, quæ ad Magistri laudem pertinent, ipso fortè ita volente, omnino siluit. Et paulo post: humanum quid passi Discipuli sunt, quod Evangelista quoq; significavit dicens: In illa hora; quando sc. illis omnibus Petrum pratulit. Nam cum & Jacobus & Joannes primogeniti essent, nihil tamen tale proipsis fecisse videtur. Et paulo post: Quando certos præferri conspexerunt, (ut in transfiguratione Petrum, Jacobum & Joannem) nihil tale passi sunt. Cum verò ad unum delatus est honor, tunc nimirum doluerunt. Quamvis non ex hac re solùm, sed ex alijs quoque multis inflammati fuerunt: tum, quia dixit illi, Dabo tibi claves regni cælorum: tum, quia, Beatus es Simon Barjona, tum etiam hic, Da eis pro me & te: tum denique, quia liberiùs cum multa cum Christo colloqui conspiciebant.

41. Quid tu verò ad hæc omnia, Marce Antoni? Primò, repetis solennem tuam respõsionem, nihil aliud hinc colligi posse, quàm Petrum propter Primatum ætatis & vocationis, fuisse alijs prælatum. Agnoscis ergo prælatum esse. Erras tamen, ut sæpe dixi, id factum esse propter Primatum ætatis & vocationis. Nam incertum est, an Petrus fuerit Primus omnium ætate. Et falsum est, ante alios omnes vocatum esse ad Apostolatam.

42. Deinde, sigillatim hæc dicis de Augustino, Hieronymo & Chrysostomo. Primò, incertum esse, an Augustinus sit autor illius libri.

libri. Autorem verò, quisquis sit, nihil aliud voluisse, quàm Petrum fuisse Caput, id est, Primum & quasi Procuratorem cæterorum: Aut, si plus voluit, audiendum nõ esse. At plus voluit sine dubio. Voluit Petrũ esse Caput & Pastore gregis Dominici. Voluit omnes causas Magisterij, quæ erant in Christo, fuisse etiã in Petro. An ideo, quia hoc voluit, audiendus non est? Vide ne tu audiendus non sis.

43. Secundò ais, Hieronymum, post verba superius citata, addidisse etiam hæc: *Vidensque Jesus cogitationes eorum, & causas erroris intelligens, vult desiderium gloriæ, humilitatis contentione sanare.* Iraque ex Hieronymi sententia, errasse Apostolos, existimantes Petrum sibi prælatum, tanquam verè Dominum, Principem & Monarcham. Respondeo. Apostoli in uno errabant; in altero non errabant. Non errabant in eo, quòd putarent Petrũ sibi præferri. Hoc enim manifestè constabat ex varijs signis, quæ Chrysostomus paulò ante attigit. At in eo errabant, quòd putarent illum, nõ solum eo tempore sibi præferri, sed etiam postea in temporali Messix regno, quod somniabant, fore præferendum. Atque hæc est Bellarmini sententia, quam tu frustra oppugnas.

44. Ut autem melius intelligatur, notãdum est Apostolos ter, ut minimũ, contendisse de Primatu. Primò, in via, quando post transfigurationem ibant Capharnaum. Secundò, postquam venissent Capharnaum. Tertiò, quando postea ibant Hierosolymam.

De prima contentione scribit Marcus cap. 9: 32. *Et venerunt Capharnaum. Quicum domi essent, interrogabat eos: Quid in via tractabatis? At illi tacebant. Si quidem in via inter se disputaverant, quis eorum major esset.* Fortasse ex ea occasione, quod Petrus, Joannes, & Jacobus, non item reliqui, fuissent cum Christo seorsim in transfiguratione. De secunda scribit Matthæus cap. 18. 1. *In illa hora (cùm solutum erat tributum pro Christo & Petro) accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: Quis putas major est in regno cælorum? Jam nova erat occasio, propter solutionem tributi in qua Petrus videbatur omnibus alijs præferri.* De tertia scribit idem Matthæus cap. 20. 20. *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedai cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? At illi: Dic ut sedeant hi duo filij mei, unus ad dextram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo. Et infra: Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus. Jesus autem vocavit eos ad se, & ait: Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum &c. Non ita erit inter vos. Sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, &c.*

45. Nunc quæstio est, de quo Primatu toties contenderint Apostoli? Tu putas contendisse de Primatu Ecclesiastico; quis scilicet eorum, post mortem Christi, futurus esset ipsius Vicarius, qui omnibus alijs despoticè præficeret. Et in eo ipsos errasse, & à Christo correctos esse, eùm talis Primatus nulli conferendus esset, sed omnes futuri essent æquales. Hoc tuum
figmen-

figmentum est, mi frater, quo conaris Primatum Petri suspectum facere apud lectorem. Meliores autores, quam tu es, aliter sentiunt. Nimirum, putasse Apostolos, temporale Christi regnum, quod ipsi imaginabantur, jam appropinquare; & in eo cum ipso se regnatos: ideoque disputasse, quis in illo regno proximus post Christum futurus esset. Et quia in eo errabant, à Christo correctos esse. Quam dixi esse Bellarmini sententiam lib. 1. de Pontifice. c. 19. in fine. Et tu ipse, ut soles esse inconstans, eandem sequeris lib. 1. c. 11. n. 1:

46. Et probatur Primo, ex illis verbis: *Dic, ut sedeant hi duo filij mei, unus ad dextram tuam, & unus ad sinistram, in regno tuo.* Vel, ut Marcus habet, *in gloria tua.* Per regnum Christi intelligebant regnum hujus vitæ, quo putabant Christum potiturum, ut explicat Chrysostomus Homil. 66. in Matthæum, ubi ait: *Quid porro est, quod petunt? alius te docebit Evangelista. Nam quoniam, inquit, prope Jerusalem erant; credebantque regnum Dei jam jam eventurum, quod hujus vitæ ac seculare opinabantur; hæc postulabant, ut ob honorem facilius etiam omnia pericula possent evitare. Propterea Christus ab his eos cogitationibus abducens, pericula, sanguinem necemque, ipsam expetendam esse jubet. Potestis, inquit, bibere calicem, quem ego bibo?* Et infra: *Volebant autem, ut ego conjicio, quonia super duodecim sede sessuros Discipulos audierunt, primatum hujus concessus impetrare: Et præponi quidem se cæteris, præterquam Petro, sciebant, quem formidantes,*

K 2

dic-

dicere an si sunt, Dic ut unus à dextris, alter à sinistris sedeat. Quid gatur ipse: ut significat: nihil ees petere Spirituale, sed nec scire quidem quid postulent; nescitis, ait, quid petatis.

47. Similiter Theophylactus in cap. 20. Matthæi: *Opinabantur filij Zebedæi, quod vadens Hieroselymam Dominus, regnaturus esset regno quodam temporali. Audierant enim eum saepe dicentem: Ecce ascendimus Hieroselymam.*

Et Hieronymus (de cujus sententia disputamus) in cap. 20. Matthæi: *Unde opinionem regni habet mater filiorum Zebedæi, ut cum Dominus dixerit (Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum & Scribis, & cōdemnabunt eum morte, & tradent ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum) & ignominiam passionis timentibus Discipulis nunciaret; illa gloriam postulet triumphantis: Hac, ut reor, ex causa. Quia post omnia dixerat Dominus: (& tertia die resurget) putavit eum mulier post Resurrectionem ilico regnaturum. Vides, Marce Antohi, Hieronymum loqui de regno temporali, non secus ac Chrysostomum & Theophylactum. In eo solum ab ijs differre; quòd ipsi regnum illud temporale, ex opinione Apostolorum, interpretentur ante mortem Christi: Hieronymus post Resurrectionem.*

48. At unde conceperant Apostoli hanc opinionem de instante temporali regno Christi? Ex duplici, ut apparet, Christi testimonio. Unum est, Matth. 16. 27. Marc. 8. 39. & Luc. 9. 27. *Amen dico vobis: sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium homi-*

hominis venientem in regno suo Alterum, Matt. 20. 18. Marc. 10 33. & Luc. 9. 44. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, &c.* Ex priori colligebant, regnum Christi jam proximè instare. Et quia putabant sedem regni debere esse Hierosolymæ, ubi David & alij Reges habitaverant; simulatque Christus dixit; *Ecce ascendimus Hierosolymam*, persuasi sunt, jam jam regnum Hierosolymæ inchoandum esse, & in eo regno, se varia officia habituros. Contendebant igitur, quis supremum habiturus esset.

49. Dicit fortè aliquis, postolos ex posteriori testimonio, contrarium debuisse colligere, nempe Christum Hierosolymæ moriturum, non regnaturum; quia de morte sua clarè loquebatur, nulla facta regni temporalis mentione. Respondeo. Id quidem debuissent colligere Apostoli, si intellexissent sensum verborum Christi. At non intellexerunt, ut fateatur Lucas loco citato, cum ait: *At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos.* Loquitur de illo verbo, *Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum*; ubi de morte & passione Christi agitur. Igitur ex ignoratione hujus verbi, ortus est error Apostolorum, existimantium, Christum ascendere Hierosolymam ad possidendum regnum temporale, de quo putabant illū antea locutum esse, cum dixerat: *Sunt aliqui de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo.*

50. Tertiò ais, Hieronymum, cum dixit;

*Ex aequalitate pretij, arbitrati sunt Apostoli, Petrum ipsis prælatum, videri supponere, etiam pro cæteris Apostolis tributum fuisse solutum, sed minus, quam pro Christo & Petro. Contra quod dictum tria objicis: 1. non constare, pro cæteris solutum esse. 2. nec etiam constare, alios plus, alios minus, pro dignitate personarum, solitos esse solvere. 3. Imò constare, omnes omnino, cujuscunque ætatis ac conditionis essent, debuisse æquale pretium persolvere, juxta illud præceptum Domini, Exod. 10. 5. *Dives non addet ad medium Sicli, & pauper nihil minuet.* Nam ex hoc præcepto pendere solutionem didrachmæ, juxta communem opinionem.*

51. Similiter reprehendis Chrysostrum triplici titulo: 1. Quòd unum præceptum pro alio per errorem sumpsit, nempe præceptum Siclorum pro primogenitis solvendorum, pro præcepto didrachmi. 2. Quòd *in sua leviuscula inadvertentia perseverans*, prælaturam Petri super alios, colligat ex eo, quia tributum primogenituræ pro ipso est solutum, nõ pro alijs. 3. Quòd dixerit Jacobum & Joannem fuisse primogenitos, cum tamen fuerint fratres, qui simul primogeniti esse non possunt.

52. Quæ hîc objicis contra hos Patres, parum ad rem faciunt. Solùm quæritur hoc loco, an Petrus in solutione didrachmi fuerit prælatus alijs Apostolis? Isti Patres nobiscum affirmant. Quid vis amplius? Ex quo autem præcepto jussum sit dari didrachmum, nihil pertinet ad hanc quæstionem. Sed tamen,
quia

quia litem de hac removes, dicam. Invenio triplex tributum, quod ex præcepto debebant Judæi persolvere. Unum, quod tenebatur dare in usum templi. Exod. 30. 13. Alterum, quod dabant pro primogenitis, Num. 3. 46. Tertiū, quod Augustus Imperator illis imposuit, cum jussit, ut universus orbis describeretur. Luc. 2. 1. Igitur tu affirmas solutionem didrachmi pertinere ad primum præceptum. Ego contrā assero, ad tertium pertinere. Mecum sentiunt Hieronymus, Beda, Maldonatus.

Octava Prærogativa.

53. **O**ctava est, quod Christus post Resurrectionem, inter omnes Apostolos, soli Petro primū apparuerit. Sed duo objicis. Primo, id non ad eū esse certum, quin negari possit. Ego contrā, ad eū certum esse contendo, ut negari, nisi ab Apostata, non possit. Primo, quia reliqui Apostoli id fatentur, coram Discipulis duobus redeuntibus ex Emmaus, Luc. 22. 34. *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Certè, si ipsis etiam apparuisset, dixissent sine dubio, *Apparuit nobis.* Et clarissimè Paulus, 1. Corinth. 15. 4. *Resurrexit tertia die secundum scripturas, & visus est Cepha, & post hoc undecim.* Quasi dicat, primū visus est ipsi Cephae, & postea, aliò tempore, visus est alijs. Et tu aūsis hoc negare? Audi Chrysostrum in illum locum: *Itaque Petro primū apparet. Nam qui Christum primus confessus*

fessus erat, non abs re primus etiam resurgentem videt. Et ibidem: Itaque non omnibus initio visus est, nec pluribus simul: sed uni tantum, & ei Principi, & fide maxime digno.

54. Secundò ais, Christum duplici de causa, inter Apostolos, primùm apparuisse Petro: 1. quia Petrus erat primus ordine, vocatione, & ætate, inter Apostolos. 2. Quia maximè omnium indigebat consolatione, propter ingentem dolorem ex trina negatione conceptum. Sed quæro: An quod hic asseris, ad eò certum sit, ut negari non possit? Si negari potest, nihil efficis. Si negari non potest, nec illud negari potest, primam apparitionem, inter Apostolos, soli Petro factam esse. Cur ergo paulo antè dixisti, negari posse? Nihil apud te constans est. Deinde, sit ita. Christus apparuerit primùm Petro propter causas à te assignatas; An ideò prærogativa non est? At non tanta, inquires, ut ex ea Primatus Ecclesiasticus colligi possit. Neque nos ex hac sola prærogativa Primatum colligimus, ut initio dixi; & jam clariùs explicabo.

Reliquæ Prærogativæ.

55. **H**Actenus adduxi eas prærogativas, quæ præcesserunt Primatum Petri: nunc reliquas adducam, quæ secutæ sunt. Priores, vel erant signa futuri Primatus, vel dispositiones præviæ, vel promissiones ad eundem obtinendum. Reliquæ sunt effectus, & quasi exercitia Primatus jam obtenti. Unde apparet, te prio-

res non rectè oppugnare ex eo, quòd ex singulis seorsim sumptis, non possit evidenter convinci Primatus. Non necesse id est. Sufficit, si vel singulæ, vel omnes simul sumptæ, sint quædam signa, vel dispositiones ad futurum Primatum. Accipe simile exemplum. Quando Rex, vel Imperator vult alicui dare supremam Aulæ præfecturam, non solet re ipsa dare, nisi prius illum præ alijs habuerit commédatum, tum in familiari conversatione, tum in officijs regni vel Imperij, tum in legationibus & similibus Prærogativis. Quare hoc? Quia per hujusmodi præambula, partim vult illum disponere ad supremam præfecturam; partim significare, se illum præ alijs magnificare, & ad supremam dignitatem promovere velle: Ne, si subitò, & quasi ex abrupto id faciat, videatur temere sine consilio, & cum invidia aliorum, facere. Sic fecit Christus. Voluit Petro dare supremam Ecclesiæ præfecturam: Sed non voluit sine prævijs signis & dispositionibus, ut in simili jam explicatum est.

56. Ex hac declaratione manifestè constat, quo sensu nos Catholici colligamus Primatum Petri ex prærogativis, quæ Primatum præcesserunt. Planè eo sensu, quo id faciunt prudentes viri in simili casu. Sic enim illi solent ratiocinari. Rex noster cogitat de supremo aulæ Præfecto constituendo. Quis ille futurus est? Certè non alius, ut apparet, quàm Eustachius. Nam præ reliquis, illi uni familiaris est; soli sua consilia communicat; solum ad

legationes obeundas adhibet; soli promissionem facit; denique in omnibus primum locū illi tribuit. Nō possumus aliud statuere, quàm quòd illum unicum, & non alium ad supremā præfecturam destinaverit. Res vulgo nota est. Et miror, si hīc velis tergiversari.

57. Sed notior fiet ex alijs prærogativis, quæ ex Primatu, tanquam effectus ex sua causa, vel quasi functiones consecutæ sunt. Nam Petrus, postquam suprema Ecclesiæ præfectura illi commissæ est, per illa verba, *Pasce oves meas*, mox cœpit illam ad praxin applicare, & varios ejus actus exercere. **Ac** 1. convocavit omnes Discipulos ad electionem novi Apostoli in locum Judæ proditoris. **2.** Primus promulgavit Evangelium Hierosolymis. **3.** Primus fecit miraculum Hierosolymis ad confirmandum Evangelium à se promulgatum. **4.** Primus etiam prædicavit gentibus Evangelium. **5.** Primus sententiam dixit in concilio Hierosolymitano. Quæ omnia fecit ex auctoritate sibi à Christo concessa. Et propter hanc causam Paulus Apostolus venit Hierosolymam, ut Petrum, tanquam universalis Ecclesiæ Pastorem, coram videret, ut ipsemet de se fatetur in Epist. ad Galat. cap. 1. 18. De his singulis etiam aliquid dicendum est. Igitur, ut in eo, quem cœpimus, ordine, persistamus.

Nona Prærogativa.

58. **N**ona prærogativa est, quòd Petrus cõvocaverit omnes Discipulos ad electionem novi Apostoli, Act. 1. 15. *In diebus illis, exsurgens Petrus in medio fratrum, dixit. Viri fratres, oportet impleri scripturam, &c.* Hic est primus actus præfecturæ Petri De quo Chrysostomus Hom. 3. in Acta: *Quàm est servidus Petrus: Quàm agnoscit creditum a Christo gregem: Quàm in hoc choro Princeps est: Et ubique Primus omnium incipit loqui.* Et infra ibid: *Meritò primus omnium auctoritatem usurpat in negotio, ut qui omnes habeat in manu.* Et Oecumenius ad cap. 1. Acto- rum: *Surgit Petrus, non Jacobus, ut is, cui præsentia Discipulorum commissa erat. Neq; ullus orationi Petri contradixit, sed mox ad ejus præceptum constituerunt duos, quos dignissimos eo gradu existimabant, ut unum eorum Deus ipse designaret.*

59. Hic multa objicis contra illos duos Patres, quos vides tibi adversari. Nam illi dicunt, Petrum fuisse Principem eorum omnium, qui aderant in electione Matthiæ; habuisse eos in manu sua; agnovisse illos tanquam gregem à Christo sibi concreditum; usurpasse in eos auctoritatem; eos vicissim ad illius præceptum fuisse promptos & expeditos. Hæc omnia tibi desipiunt, mi Antoni. Quare? Quia astruunt Primatum Petri, quem tu ferre non potes. Quid ergò consilij? aggredieris ipsos Patres, & quos ratione superare non potes, calumnijs opprimendos censes. Igitur

60. Primò objicis: Chryſoſtomum oratoricè magis, quàm Theologicè locutum eſſe. Sed dic obſecro, verum an falſum locutus eſt? Si verum, quid murmurās? Si falſum, cur apertè non dicis? niſi fortè, quicumque oratoricè loquitur, falſum: qui Theologicè, verum loqui cenſeri debeat.

61. Secundò objicis, illa verba Chryſoſtomi, *Petrus agnoſcit creditum à Chriſto gregem*, fruſtra & otioſè ab eo dicta eſſe; quia Petrus tantum agebat ibi de adimplendo numero collegij Apoſtolici. Hoc autem collegium nō pertinebat ad gregem Petro conceditum. Erras, mi frater. Nam ſub iſta voce, *Paſce oves meas*, qua Petro grex Chriſti conceditus eſt, comprehenduntur etiam Diſcipuli Chriſti. Igitur & illi Petro concediti ſunt. De qua re ſuprà actum eſt: Et ſimul obiter notata tua levitas ac inconstantia, qui modò omnes Chriſti fideles, modò omnes exceptis Apoſtolis, modò ſolos Iſraelitas, ovium nomine comprehenſos eſſe, commentus es.

62. Tertiò objicis, Actum Petri, quo convocavit Diſcipulos ad electionem novi Apoſtoli, non fuiſſe Actum paſturæ; & ideo etiam ex hac parte, Chryſoſtomum impertinenter dixiſſe illa verba, *Petrus agnoſcit gregem ſibi creditum*. Iterum erras. Actus paſturæ varij ſunt, ut cap. 3. ex Ezechiele demonſtratum eſt. Eò te remitto.

63. Quartò objicis, Chryſoſtomum ſibi ipſi contradicere. Quod ſic oſtendis. Ex una parte

parte dicit, Petrum fuisse Principem in choro Discipulorum: Ex alia proponit hanc quæstionem: *Cur Petrus non postulaverit solus à Christo, ut ipsi daret aliquem in locum Judæ substituendum?* Et eam paucis his verbis solvit: *Jam Petrus erat seipso factus melior.* Ex quibus tu, miro artificio, connectis has argutias: *Ergo Petrus, ex sententia Chrysostomi, fuisset arrogans, si hoc præsumpsisset. At factus melior Christi reprehensionibus, & proprio casu, noluit tantum audere. Arrogantia tamē & præsumptio non fuisset; si Petrus relictus fuisset à Christo Monarcha totius Ecclesiæ: ad ipsum enim spectasset ministrorū ordinatio.* Unde inferis, Petrum ex sententia Chrysostomi, nō esse supremum totius Ecclesiæ Pastorem, ideoq; Chrysostomum sibi ipsi contradicere. Sed, ut candidè dicam, quod res est, fingis Chymæras ex tuo capite, de quibus ne quidem somniavit Chrysostomus. Quæstio Chrysostomi hæc est: *Quare Petrus convocavit omnes Discipulos, ut communi orationis suffragio postularent aliquem à Christo, in locum Judæ substituendum? Quare non ipse solus postulavit?* Respōsio est: *Quia Petrus erat seipso factus melior.* Quasi dicat, Quo quis melior est, eò humilior: Quò humilior, minoris se æstimat: Ac proinde, si aliquid à Deo petendum est, plus fidit communi omnium orationi, quàm suæ solius privatæ. Quamvis ergo Petrus potuisset solus à Deo postulare substituendum, maluit tamē communi aliorum suffragio id facere. Quid hîc mali est? Nihil, præter tuas ineptias.

64. Quintò objicis aliam Chrysoftomi contradictionem, ex illis ipsius verbis: *Iam & illud considera, quàm Petrus agit omnia ex communi Discipulorum omnium sententia; nihil auctoritate sua, nihil cum imperio.* Unde inferes; Petrum non fuisse Principem Discipulorum, quod tamen antea dixerat Chrysoftomus; ac proinde Chrysoftomum sibi iterum contradicere. Rectius dicam, te iterum Chymæras fingere. Sane ex verbis Chrysoftomi apertè colligitur; Petrum fuisse Principē; sed Principem modestum, qui cū posset sua auctoritate & imperio agere, malit tamen Christi exemplum imitari. Si hoc non capis, accipe domesticum exemplum. Si quis laudaret Regem Angliæ, & diceret, omnia illum agere ex communi Episcoporum omnium sententia; nihil auctoritate sua, nihil cū imperio: an tu statim inferres: Ergo Rex non est? Cave ne feceris. Modestia Regum & Principum non obstat, quo minus possint agere ex auctoritate & imperio, si necesse sit.

65. Sextò objicis, Oecumenium improprie locutum esse, cū dixit: *Mox ad ejus præceptum constituerunt duos.* Odisti hanc vocem, *Præceptum.* Et paulo post addis: *Oecumenius de solo Primatu personali Petri est intelligendus,* id est, de Primatu ætatis & vocationis. Non ita est. Debet intelligi de eo Primatu, quem ipsemet clarè explicat. De eo, inquam, Primatu, cui conveniunt hæc duo: *Præsidentia Discipulorum, & Præceptum.* Expresse enim asserit, Petro commissam esse præsidentiam Discipulorum;

& Discipulos fecisse; quod à Petro præceptū erat. Quòd ais, impropriè locutum esse, non credimus. Omitto similes tuas nugas.

Decima Prærogativa.

66. **D**ecima Prærogativa est, Quòd Petrus post acceptum Spiritum sanctum, primus omnium promulgaverit Judæis Evangelium, Act. 2, 14. Sicut Moyses in Veteri Testamento primus omnium promulgavit legem Decalogi & Deuteronomium. Uterq; Actus pertinet ad Primatum. Nam sicut Moyses habebat Primatum Synagogæ, & ideo prælatus est alijs in promulgatione legis; ita Petrus habebat Primatum Ecclesiæ, & ideo prælatus est alijs in promulgatione Evangelij.

Undecima Prærogativa.

67. **U**ndecima est, Quòd Petrus primum miraculum fecerit in cōfirmationem Evangelij à se promulgati, sanando claudum ex utero matris, Actor. 3. 6. *In nomine Jesu Christi Nazareni, surge & ambula.* Quæ prærogativa non consistit in eo, quòd Petrus miraculum fecerit in confirmationem fidei, quia hoc omnes Apostoli fecerunt, Marc. 16. 20. *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis:* sed consistit in alijs duobus. Primò in eo, quòd primum miraculum fecerit post promulgationem Evangelij. Hic non potes confugere ad Primatum ætatis & vocationis,

tionis, ut soles; quia ille Primatus nil facit ad patrandum miraculum: sed necessariò id tribuendum est Primatui autoritatis & potestatis, quem Christus voluit ostendere in Petro per primi miraculi patratiorem. Sicut etiam in Veteri Testamento, miraculo confirmavit Primatum Moysis (Num. 16.) Ac deinde Primatum Aaronis (Num. 17.) Secundò in eo, quòd fecerit miraculum, non qualecunque, sed quòd claudum sanaverit, pedes ipsius consolidando. Hoc enim non caret mysterio, ut notat Ambrosius serm. 66. Nam per hoc, quòd pedes infirmi hominis firmavit ac consolidavit, significatum est, ipsum esse firmum ac solidum fundamentum Ecclesiæ.

Duodecima Prærogativa.

68. **D**uodecima est, Quòd Petrus non solum apud Judæos, sed etiam apud gentiles, primus omnium promulgaverit Evangelium, & baptismum administraverit (Act. 10. 34.) Huic prærogativæ annexa est alia, quòd soli Petro ostensa sit visio, qua jubebatur gentilibus Christum annunciare (Act. 10. 10.) *Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus. Et vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cælo in terrã, in quo erant omnia, quadrupedia, & serpentina & volatilia cæli. Et facta est vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca.*

69. Hic unum dicis de priori parte prærogativæ: duo de posteriori, nempe de visione Petro

Petro exhibita. De priori, fateris insignē fuisse prærogativā Petri, quod primus annuncia-
verit gentibus Evangelium: non tamen præ-
rogativam Principatus, sed sollicitudinis ac
diligentiæ, qua ceteros omnes superavit. At a-
libi asseris, Paulum superasse omnes præroga-
tiva sollicitudinis ac diligentia, Paulus autem
jam erat Apostolus eo tempore, quo Petrus
prædicavit Gentibus Evangelium. Ergo si illa
fuit insignis prærogativa Petri, non fuit dili-
gentiæ, sed Principatus.

70. De posteriori pronuncias hæc duo,
quæ directè inter se pugnant. Primò, visionem
illam fuisse privilegium, quo Petrus, tanquam
senior & ferventior inter Apostolos, meruit
decorari. Secundo, non fuisse privilegium, sed
potius increpationem, quia cum Petrus esset
nimium refractarius, & vix posset adduci ad
vocationem Gentium, necesse fuit, ut per vi-
sionem illam quasi compelleretur ad officiū.
Itane, Marce Antoni? Jam antè dixisti, Petrū
omnes alios superasse sollicitudine, diligen-
tia, & fervore. Nunc dicis, fuisse refractarium
& propterea increpatum ac reprehensum à
Deo. Nusquam es constans.

71. Et ne conqueraris injuriam tibi à me
factam esse, recitabo verba tua, quibus hanc
contradictionem involvis. Sunt autem hæc:
*Fuit insignis Petri sollicitudinis prærogativa; qua
sollicitudine & indefessa diligentia Petrus ceteros
facile superavit.* Et mox de visione sic pergis:
Fuit privilegium, quo primus & maximus natu ex

Apostolis, & ferventissimus executor, meruit condecorari Deinde, facta digressionem contra Bellarminum, quasi immemor verborum tuorum, sic concludis: *Hac visio plus simplicis instructionis, & quasi cujusdam increpationis, quam laudis & prerogativa in Petro videtur innuere. Is enim Judaismo addictissimus, vix poterat in Gentilium vocationem ad divina filiationis gratiam inclinare. A qua illum a versione, ut Christus amoveret, nimium legalibus addictum, visione hac occurrit, non sine illa redargutione: Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris. Ac ne ipse, nimium fortasse in hoc refractarius videretur, ter visio illa, aut saltem haec vox repetita est.* Jam vide, quomodo inter se cohæreant, quæ hîc asseris.

72. Taceo de injuria, quam Petro irrogas. Ais, fuisse Judaismo addictissimum; vix potuisse in gentilium vocationem inclinare; fuisse refractarium. Unde probas? Ex falsâ scripturæ interpretatione: quasi ob hanc causam reprehensus fuerit his verbis: *Quod Deus purificavit tu commune ne dixeris.* Non ita est. Nam Petrus audita hac voce: *Occide & manduca;* respondit: *Absit Domine, quia nunquam manduca vi omne commune & immundum.* Deinde sequitur: *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.* Hoc tu interpretaris, quasi Petrus noluerit consistere in vocationem gentium, & quodammodo fuerit refractarius. Absit. Nihil adhuc cogitabat de gentilibus; Quia nōdum intelligebat mysterium visionis. Solūm asserbat, se nunquam comedisse animalia immūda,

da, quæ secundum legem Mosaicam; erant prohibita. Nec sciebat, per animalia immunda significari gentiles. Hoc postea intellexit: Et postquam intellexit, nunquam ostendit se refractarium circa gentium vocationem, sed promptum & expeditum.

Decimatertia Prærogativa.

73. **D**ecima tertia est, Quòd Petrus primò loco sententiam dixerit in concilio Hierosolymitano, Act. 15. 7. *Cùm autem magna inquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, &c.* Et quod omnes sententiam illius secuti fuerint: De quo Divus Hieronymus in Epistola ad Augustinum (quæ est undecima inter Epistolas Augustini) sic scribit: *In sententiâ ejus Jacobus Apostolus, & omnes simul Præbyteri transferunt.* Et Theodoretus in Epistola ad Leonem. *Paulus præco veritatis, tuba sanctissimi Spiritus, ad magnum Petrum cucurrit, ut iis, qui Antiochia de legalibus institutis contendebant, ab ipso adferret solutionem.* Utrique ab ipso, tanquam controversiarum giudice.

74. Tria objicis. Primò, Petrum primò loco sententiam dixisse, tanquam Decanum collegij: idque ratione ætatis, non jurisdictionis. At, mi homo, Decanus collegij Canonico-rum (saltem in Germania) non est nomen ætatis, sed dignitatis: Et solet præsidere Capitulo; nõ tanquam senior ætate (cùm sæpe sit junior) sed tanquam superior jurisdictione.

75. Secundò objicis, Jacobum in Conci-

lio Hierosolymitano aliquid amplius decrevisse, quod Petrus non decreverat, nempe ab-
 stinentiam à contaminationibus simulachro-
 rum, & fornicatione, & suffocatis & sanguine.
 Distinguo. Nihil amplius decrevit circa quæ-
 stionem in concilio propositam: aliquid tamé
 amplius circa alia, quæ non erant proposita.
 Quæstio proposita erat hæc: An circumcisio
 esset necessaria ad salutem ijs, qui ex Genti-
 bus convertebantur ad fidem Christi? Re-
 spondit Petrus non esse. Nec aliud respondit,
 quia aliud non quærebatur. Quod etiam ser-
 vatur à iudicibus secularium controversiarū.
 Putant se abundè satisfecisse suo officio, si cla-
 rè & directè respondeant ad id, quod à liti-
 gantibus proponitur. Nihil ergo obstat, quod
 Jacobus aliqua adjecerit, quæ à litigantibus
 non erant proposita.

76. Tertiò objicis, Decretum in illo con-
 cilio factum, non prodijisse nomine solius Pe-
 tri, sed totius concilij, ut patet ex inscriptione:
Apostoli & seniores fratres, his qui sunt Antiochie.
 Respondeo. Si quæstio soli Petro fuisset pro-
 posita, prodijisset decretum nomine solius Pe-
 tri, sed quia toti cōcilio fuit proposita, debuit
 prodire nomine totius cōcilij, cui Petrus præ-
 sidebat. Idem fit in concilijs & Parliamentis se-
 cularibus. Nam Decreta, quæ ibi fiunt non
 prodeunt nomine solius Præsidis, sed nomine
 Concilij vel Parlamenti.

77. Hæc sufficiant de prærogativis Petri:
 quarum aliquæ, ut dixi, præcesserunt ipsius

Primatum, tanquam signa vel dispositiones præviæ: aliæ secutæ sunt, tanquam effectus & executiones Primatus jam obtenti. Deinceps diluendæ sunt objectiones, quas magno studio ex alijs adversarijs transcripsisti, ut Petri & Pontificis autoritati derogares. Impium hoc studium est, & à rebellibus usurpatum. Utinam in proximorum salutem id contulisses.

CAPUT SEPTIMUM.

Diluuntur objectiones Marci Antonij contra Primatum Petri.

1. **M**ULTA objicis, Marce Antoni, contra Primatum Petri: non quidem studio veritatis, quam agnitam oppugnas; sed Spiritu ambitionis, quo video te ad scribendum impulsus esse. Sunt autem hæc potissimum objectiones. 1. Ecclesia Apostolis omnibus æquè à Christo commendata est. 2. Evangelium reprobat Primatum inter Apostolos. 3. Ipsi Apostoli in Petro non agnoverunt Primatum. 4. Nec Petrus illum unquam exercuit. 5. Pauli reprehensio, qua Petrum objurgavit, destruit Primatum Petri. 6. Idem colligitur ex scriptis Pauli. 7. Et ex comparatione Petri & Pauli: Hęc est summa tuarum objectionum, quas ferè ex Bellarmino suffuratus es. Primam proponis lib. 1. cap. 3. Reliquas cap. 11. singulas eo ordine, quo propositæ sunt, discutiam.

I. OBJECTIO,

Ecclesia Apostolis omnibus fuit æquè à Christo commendata.

2. **H**Oc probas dupliciter. 1. Ex Scriptura. 2. Ex Patribus. Ex scriptura sic: Christus dixit omnibus Apostolis: *Sicut me misit Pater, & ego mitto vos.* Item, *Euntes docete omnes gentes.* Omnibus ergo suam Ecclesiam commendavit. Quòd autem æquè omnibus, inde colligis, quia omnes æquè docuit & instruxit; omnibus æquè misit Spiritū sanctum in die Pentecostes. Respondeo. Prior pars argumenti vera est, quòd Christus commendaverit suam Ecclesiam omnibus Apostolis: posterior falsa est, quòd omnibus æquè commendaverit. Nā soli Petro dixit: *Pasce oves meas.* Igitur pastura omnium ovium, soli Petro, non alijs commēdata est. De quo supra. Nec valet hæc tua consequentia: Omnes æquè instructi sunt, & æquè Spiritum sanctum acceperunt. Ergo unus non habet majorem jurisdictionem quàm alius. Nam aliud est loqui de doctrina & sanctitate; aliud de jurisdictione. Non omnes, qui pares sunt in doctrina & sanctitate, sunt etiam pares in jurisdictione. Alioqui Rex in regno, si non haberet majorem doctrinam & sanctitatem, quàm subditi, non haberet etiam majorem jurisdictionem. Nec tu, Marce Antoni, si haberes Sacellanum pari doctrina & sanctitate, nõ esses illo superior, quoad jurisdictionem. Quæ
omnia

omnia absurda sunt. Et ratio à priori est, quia jurisdictio per se non pendet à majori doctrina & sanctitate.

3. Nec fortasse verum est, quod asseris de æquali instructione. Nam Paulus Apostolus fuit raptus in tertium cœlum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Quid si ille magis instructus fuerit, quàm reliqui Apostoli? Certè id admodum verisimile est. An idco majorem habuit jurisditionem, quàm alij Apostoli? Hactenus nemo id dixit.

4. Ex Patribus, pro æqualitate Apostolorum, adducis primo loco Cyprianum tract. de simplicitate Prælatorũ, sive de unitate Ecclesiæ, ubi sic habet: *Hoc erant utique & ceteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris & potestatis; Sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una mōstretur.* Hunc locum valdè urges; in quo continentur dux propositiones. Una de paritate Apostolorum: Altera de unitate. Et putas priorem secundum litteram non posse aliter explicari, quàm quòd omnes Apostoli fuerint pares in honore & potestate; ac proinde Petrus non habuerit plus potestatis, quàm cæteri. Si autem Catholici, inquis, volunt ex posteriori contrarium probare, videant, quomodo defendant Cyprianum à contradictione. Respondeo. Et prior, & posterior propositio vera est, sine ulla contradictione. Nam verum est, omnes Apostolos, antequam Petrus totius Ecclesiæ præfectus constitueretur per illa verba, *Pasce oves*

meas, fuisse inter se æquales in honore & potestate. Verum quoq; est, eundem Petrum, postquam præfecturâ Ecclesiæ accepit, fuisse majorem reliquis in honore & potestate. Et hoc significatur per *Exordinm ab unitate*. Itaq; hic loc^o Cypriani, nō tibi, sed nobis patrocinator,

5. Quod ut clarè percipias, scopus & intentio Cypriani explicanda est. Igitur hæc eo loco docet Cyprianus. Primo, Diabolum, post idololatriam, per Christi advētum sublatam, occulta quadam astutia circumvenire Christianos, ut possit illos in suas partes pertrahere: non jam iterum per idololatriam, sed per hæreses & schismata, quæ ab ipso in Ecclesia excitantur. *Quid verò, inquit, astutius, quidve subtilius, quàm ut Christi advēti detectus ac prostratus inimicus, &c. Videns idola derelicta, & per nimium credentium populum, fides suas ac templa deserta, excogitaverit novam fraudem, ut sub isto Christiani nominis titulo fallat incautos? Hæreses invenit & schismata, quibus subverteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet unitatem. Quos detinere non potest in via veteris cecitate, circumscribit & decipit novi itineris errore. Rapit de ipsa Ecclesia homines, & dum sibi appropinquasse jam lumini ac evasisse noctem seculi videntur, alias nescientibus tenebras rursus infundit, ut cum Evangelio Christi & cum observatione ejus & lege non stantes, Christianos se vocent, & ambulantes in tenebris, habere se lumen existiment, blandiente adversario atque fallente, &c.*

6. Secundo docet, ideo multos per astutiam

tiam Diaboli fieri hæreticos & schismaticos, quia non conjungunt se Capiti & Pastori Ecclesiæ, à quo est origo veritatis. Relicto enim hoc Capite, necessarium esse, ut à veritate recedatur. *Hoc eo fit, inquit, fratres dilectissimi, dū ad veritatis originem non reditur, nec Caput quaeritur, nec Magistri cælestis doctrina servatur.*

7. Tertio ait, se brevi compendio velle ostendere ex doctrina cælestis Magistri, quodnam sit hoc Caput, à quo est origo veritatis. Nam ostenso & retento hoc Capite, non erit amplius periculum recedendi à veritate. Ostendit autem ex verbis Christi, Petrum cum suis Successoribus esse hoc Caput. *Quæ si quis consideret, inquit, & examinet, tractatu longo atque argumento opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & super istam petram aedificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincunt eam. Tibi dabo claves regni cælorum &c. Et eidem post Resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas.*

8. Mox objicit sibi ipsi in hunc modum: Christus omnibus Apostolis dedit æqualem potestatem: Ergo Petrus non est Caput Ecclesiæ. Et respondet, dedisse quidem omnibus æqualem potestatem, sed postea ex omnibus æquali potestate præditi, elegisse Petrum, ut esset Caput seu Monarcha Ecclesiæ; ut hac ratione caverentur schismata, quæ facilè oriri solent inter æquales; & servaretur pax & unitas in Ecclesia, quæ faciliùs servatur, quando

est unum Caput, à quo omnes dependent. *Et quamvis*, inquit, *Apostolis omnibus post Resurrectionem suam; parem potestatem tribuat, & dicat: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum sanctum &c. tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem, sua autoritate disposuit.*

9. Hoc ipsum magis confirmat sequentibus verbis: *Hoc erant utique & ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris & potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur. Quasi dicat: Omnes Apostoli, ante electionem Capitis (quæ facta est per illa verba, *Pasce oves meas*) erant quidem æquales; sed tamen Christus, quia voluit exordium Ecclesiæ sumere ab unitate Capitis, & regimen Ecclesiæ esse monarchicum, ex omnibus elegit Petrum, ut ipse esset Caput Ecclesiæ. Nam si in Ecclesia non esset unum Caput, cui reliqua membra obtemperarent; non posset Ecclesiæ corpus esse unum, sed membra sine Capite inter se dissiderent ac distraherentur.*

10. Hinc infert Cyprianus, eos non habere veram fidem, sed fieri hæreticos & schismaticos, qui ab hac Capitis & corporis unitate recedunt. *Hanc*, inquit, *Ecclesia unitatem, qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur & resistit, in Ecclesia se esse confidit? Quod declarat per similia exempla. Nam sicut sunt multi radij solis, sed unum lumen: multi rami arboris, sed una radix: multi rivi*

fontis

fontis, sed una origo; ita multa sunt membra Ecclesiæ, sed unum Caput. (Intelligit Petrum, de quo supra.) Et rursus, sicut radius solis avulsus ab unitate luminis, disparet: ramus à radice fractus, non germinat: rivus à fonte præcisus arefcit; ita schismatici & hæretici, qui se separant à Capite Ecclesiæ, id est, à Petro & illius Successoribus, non possunt retinere veram fidem & Charitatem. Ecclesia, inquit, una est, qua in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur: quomodo Solis multi radij, sed lumen unum: & rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum. Et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine. A velle radium solis à corpore, divisionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte præcide rivum, præcisus arefcet: Sic & Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur: ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit: profluentes largiter rivos latius expandit, unum tamen Caput est, & origo una, & una mater fecunditatis successibus copiosa. Illius factu nascimur, illius lacte nutrimur, Spiritu ejus animamur. Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est & pudica. Unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Hac nos Deo servat, hac filios regno, quos generavit, assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus adultera jungitur,

gitur, à promissis Ecclesia separatur. Nec pertinet ad Christi premia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere jam nō potest Deū Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.

11. Ex hoc Cypriani discursu tria colligo: Primò, Apostolos quidem fuisse inter se & quales, antequam unum Caput à Christo constitueretur; sed illo semel constituto, nō amplius mansisse pares. Secundò, omnes recedere à veritate fidei, & fieri hæreticos ac schismaticos, qui recedunt à Capite, quod à Christo cōstitutum est. Tertiò, nec opus esse magno tractatu ad disquirendum, quæ sit vera fides. Nā illam esse veram fidē, quæ à Capite, tanquam ab origine (ex Christi institutione) in reliqua membra derivatur. Si hæc intelligis, Marce Antoni, redi ad unitatem capitis, à qua recessisti; & non eris hæreticus aut schismaticus.

12. Secundo loco adducis Hieronymum lib. 1. contra Jovinianum, circa medium, ubi de æqualitate Apostolorum sic scribit: *Ex æquo super eos Ecclesie fortitudo solidatur.* Respondeo. Hieronymus ibi confert inter se Petrum & Joannem; & dicit Joannem, quia virgo erat, fuisse Christo chariorem quàm Petrum, qui non erat virgo: Ut ostēdat virginitatem matrimonio præferendam esse, quod negabat Jovinianus. Et postea subjungit: *Si autem obnixè contēderit (Jovinianus) Joannem virginem non fuisse, & nos amoris præcipui causam virginitatem diximus; exponat ille, si virgo non fuit, cur cæteris Apostolis plus amatus sit? At dicis: Super Petrum funda-*

tur Ecclesia: licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves regni cælorum accipiant, & ex aquo super eos Ecclesia fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut Capite constituto, schismatis tollatur occasio. Sed cur non Joannes electus est virgo? Ætati delatum est, quia Petrus senior erat; ne adhuc adolescens, ac pene puer, progressa ætatis hominibus præferretur.

13. Ex his verbis constat, Hieronymum, quem pro te citas, in multis tibi cōtrarium esse. Primò, Hieronymus asserit, Joannem plus cæteris Apostolis amatū fuisse à Christo. Unde sequitur, Joannem vicissim plus cæteris amasse Christum. Quod sic probo: Deus plus diligit meliores, ut docet Divus Thomas 1. part. quæst. 20. art. 4. Si ergo plus diligit Joannem, quàm alios Apostolos, sequitur Joannē esse meliorem, quàm alij Apostoli. Ergo etiam melior est Petro: Ergo plus diligit Deum, quàm Petrus. At hoc contra te est, quia tu asseris, Petrum habere Primatum charitatis præ alijs Apostolis.

14. Secundò, Hieronymus asserit, solum Petrum ex duodecim Apostolis electum esse, ut esset Caput Ecclesiæ, & cæteris præferretur. At si electus est, jam antea nō erat Caput, ratione ætatis aut vocationis, ut tu contendis: Aut, si antea erat, ratione ætatis aut vocationis, electus non est.

15. Tertiò, Hieronymus dicit, ideò electum esse, ut constituto Capite, schismatis occasio tolleretur. Ergo non est electus pro sua

tantum persona, ut tu vis, sed etiam pro suis Successoribus. Nam si tempore Apostolorum, quando Ecclesia erat exigua, debuit esse unum Caput ad cavendum schisma; multo magis post tempora Apostolorum, quando Ecclesia fuit diffusa per totum orbem terrarum.

16. Quartò, Hieronymus dicit, Petrum potius electum esse in Caput, quàm Joannem quia non decebat, ut Joannes, qui penè puer erat, præferretur senioribus. Certè, si putaret Hieronymus, quod tu fingis, Petrum esse Caput propter Primatū ætatis & vocationis, stultè disputaret, quare nõ potius Joannes sit electus in Caput, quàm Petrus. Nã hoc esset disputare, quare non potius Joannes sit electus, ut fieret senior ætate & vocatione, quam Petrus. Quæ est stulta disputatio.

17. Sed objicis, Hieronymum in eo nobis contrarium esse, quòd asserat æqualitatem Apostolorum. Respondeo. Si hoc darem, nihil aliud sequeretur, quàm & tibi, & nobis contrarium esse; sed tamen tibi magis, quàm nobis. Faciamus ita esse; Jam quæro ex te, an sententia ipsius vera sit, an falsa? Si vera est, tuam falsam esse oportet, quæ illi contraria est. Si falsa, cur præsidium ab ea petis? Si partim vera, partim falsa, quis inter veram & falsam discernet? Non admitto te judicem.

18. Sed non necesse est, ad has angustias confugere. Nego Hieronymum nobis contrarium esse, nisi sibi ipsi contrarius sit. Quod ostendo ex ipsa disceptatione; quam habet
cutè

cum Joviniano, in hunc modum. *Hieronymus.* Joannes plus fuit amatus à Christo propter virginitatem, quàm Petrus, qui non erat virgo. Virginitas igitur præstat matrimonio. *Jovinianus.* Nego Joannem fuisse virginem. *Hieronymus.* Si virgo non fuit, cur plus amatus fuit, quàm alij? *Jovinianus.* Petrus plus fuit amatus, quia super Petrum fundata est Ecclesia. *Hieronymus.* Si spectes doctrinam Apostolorum, super omnes æquè fundata est Ecclesia, quia una est doctrina omnium. Si spectes jurisdictionem, fateor Petrum præ cæteris electum esse, ut esset Caput Ecclesiæ. At hinc non sequitur, plus dilectum fuisse à Christo, quia jurisdictio nõ necessariò supponit majorem sanctitatem. *Jovinianus.* Cur non potius Joannes fuit electus, si erat virgo, ut tu contendis? *Hieronymus.* Propter defectum ætatis. Erat enim adhuc adolescens, ac pene puer. Non decebat autem, ut puer, cum potestate præficeretur senioribus.

19. Si hic est discursus Hieronymi cum Joviniano, ut esse verisimile est; nihil ex eo præsidij habes, præter confusionem. Si alius est, cur dissimulas? Sed iterum objicis alia Hieronymi verba contra eundem Jovinianum: *Joannes, inquit, & Jacobus, quia plus cæteris petierunt, non impetraverunt: Et tamen non est dignitas eorum imminuta, quia reliquis Apostolis æquales fuerunt.* Respondeo. Hoc contigit ante electionem Capitis. Tunc omnes Apostoli erant æquales. At postquam dictum est Pe-
tro,

tro, *Pasce oves meas*, desierunt esse æquales, & Petrus cæpit esse Princeps aliorum, ac universalis Ecclesiæ Pastor.

20. Ex eodem Hieronymo, Epist. 58. ad Damasum Pontificem objicis hæc verba: *Ut qui Apostolos honore sequeris, sequaris & merito.* Non dicit, inquis, qui Petrum; sed, qui Apostolos honore sequeris; quia honor Petri & aliorum fuit æqualis. Respondeo. Hieronymus scripsit duas breves Epistolas ad Damasum ex Syria, de eodem argumento, in quibus consult illum, tanquam judicem omnium controversiarum, *An salva fide, concedi possit, tres esse in Deo hypostases?* In priori, sic alloquitur Damasum: *Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam, & de super textam, minutatim per frustra discerpit &c.* Ideò mihi *Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam.* Hic Pontificè Petri successorè, agnoscit pro judice. Et paulo post: *Apud vos solos incorrupta Patrum servatur hereditas*, id est, apud solos Successores Petri, & qui illis adhærent. Et iterum: *Quanquam igitur tui me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas. A Sacerdote victimam salutis, à Pastore præsidium ovis flagito.* Agnoscit se ovem: Damasum, pastorem. At non erat ovis Damasi, ratione particularis Ecclesiæ Romanæ; sed ratione universalis Ecclesiæ, quæ Damaso erat subiecta. Et rursus: *Ego nullum primum, nisi Christum sequens, beatitudini tue, id est, Cathedra Petri cõmunione consocior: super illam Petram adificatam*

Eccle-

Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Hoc non dicit de Cathedra aliorum Apostolorum. Et infra: *Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est, Qui Christi non est, Anti-Christi est.* De nullo alio Episcopo hoc dicit, sed de Petri successore. Ex quibus omnibus manifestum est, Petrum ex sententia Hieronymi, non æqualem, sed superiorem fuisse alijs Apostolis. Cùm ergo in altera Epistola dicit: *Ut qui Apostolos honore sequeris, sequaris & merito;* non vult significare, omnes Apostolos honore ac dignitate æquales esse, ut tu falsò interpretaris: sed rogat Damasum, ut sicut ipse est successor Apostolorum in honore, sic etiã conetur successor esse in virtute & merito. Quod potest commodè intelligi, etiamsi honor omnium Apostolorum non fuerit æqualis. Alioqui si inde conficeres, æqualem fuisse omnium honorem, conficeres etiam, æquale fuisse omnium meritum. Imo, tibi ipsi contradiceres. Nam lib. 1. c. 5. & 9. ult. fateris, Petrum reliquos Discipulos honore ac dignitate superasse.

21. Tertio loco adducis Augustinum lib. de agone Christiano cap. 30. ubi ait: *Non enim sine causa inter Apostolos omnes, hujus Ecclesie Catholica personam sustinet Petrus. Huic enim Ecclesie, claves regni cælorum data sunt, cùm Petro data sunt. Et cùm ei dicitur, ad omnes dicitur: Pasce oves meas.* Ex hoc, & similibus Augustini testimonijs colligis, quæ Petro committuntur, non illi soli, sed omnibus committi; ideoque omnes

æquales esse. Respondeo. Hoc potius collige: Cùm solus Petrus sustineat personam Ecclesiæ Catholicæ, non item reliqui Apostoli (quia de reliquis hoc nunquam affirmat Augustinus) Petrum hoc nomine reliquis Apostolis præferendū esse; ac proinde ex hac parte, nō omnes esse Petro æquales. Deinde collige Augustinū tibi adversari. Nam Augustinus ait; *cum Petro dictum est, Pasce oves meas, omnibus dictum esse.* Tu lib. 1. c. 8. n. 1. contendis, non omnibus, sed soli Petro dictum esse. Sic enim scribis: *Ac primum quidem hoc loco Christum cum ipsomet Petro loqui singulariter, & ei personaliter dici: Pasce oves meas; constituo tanquam certissimum.* Si illi dicitur personaliter & singulariter, Ergo dicitur illi tanquam privatae personæ. Non igitur quatenus sustinet personam Ecclesiæ. Hoc autem asserit Augustinus: Ergo tu aliter sentis, quàm Augustinus. Quid nos de hac re sentiamus, explicatum est c. 3. §. 2. Nam hæc propositio; *Soli Petro dictum est, Pasce oves meas;* potest dupliciter intelligi: Primò, excludēdo reliquos Apostolos; ut sensus sit: Nulli alteri Apostolo, sed soli Petro dictum est, *Pasce oves meas.* Sic verum est. Secundò, excludendo successores Petri; ut sensus sit, soli Petro, & non Successoribus ejus dictum est, *Pasce oves meas.* Sic falsum est.

22. Ex eodem Augustino lib. 50. Homiliarum, Hom. 43. adducishæc verba: *Sed fortè Apostoli sancti, primi, summi arietes, pastoris membra, pastores ipsi, fortè non habebant peccatum?* Hinc inters æqualitatem Apostolorum. Respon-

spon-

braxd
paxiq
paxiq
braxd
paxiq

spondeo. Ex quâ particulâ inferis? An ex eo, quod fuerint sancti? At tu contendis, Petrum præ alijs habuisse Primatum charitatis & aliarum virtutum. Igitur ex hac parte cōcedis inæqualitatem. An ex eo, quod fuerint primi? At tu similiter contendis, Petrum præ reliquis fuisse primum ætate, vocatione & multis alijs prærogativis. An ex eo, quod fuerint summi arietes? At sicut inter primos, sic etiam inter summos datur ordo & inæqualitas, ut Num. 23. 9. *De summis silicibus videbo eum.* At inter summos silices, alius potest esse alio altior. An ex eo, quod fuerint membra pastoris? At non omnia membra sunt æqualia, vel magnitudine, vel honore. I. Corinth. 12. 23. *Qua putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiore circumdamus.* An denique ex eo, quod fuerint pastores ipsi? At sicut Christus est supra alios Pastores, ita inter hos potest esse discretio honoris & potestatis. Vide quàm Augustinus nihil pro te faciat.

23. Quartò, adducis Ambrosium in c. 6. Apocalypsis, ubi ait: *Primogenita gregis sunt Apostoli, quos primos genuit Ecclesia, & ex quibus Ecclesia nata est.* Respondeo. Non sunt verba Ambrosij, sed alterius, ut benè insinuas. Neque nobis officiunt, sed tibi. Primò, quia alibi disertè ais, Petrum esse primogenitum inter Apostolos (lib. 1. c. 5. nu. 13. & 17.) & ideo primum locum illi deberi. Agnoscis igitur aliquam in hac parte inæqualitatem? Cum igitur

hoc loco contendis, omnes simul esse primogenitos, ideoq; omnes inter se æquales; tibi ipsi contradicis. Secundò, alibi ais, Ecclesiam ædificatam esse ab Apostolis post Ascensionē Christi. Quomodo ergo verum est, quod hïc ais, Apostolos esse primogenitos Ecclesiæ? Nā si sunt primogeniti Ecclesiæ, necesse est, Ecclesiam esse illorum matrē: Si mater est, quomodo ab ipsis, qui filij sunt, ædificata?

24. Quintò adducis aliquos Patres, qui asserunt, Paulum fuisse æqualem Petro. Inter quos & Chrysostronus in cap. i. Epist. ad Gal. ubi cōsiderans officium Pauli in invisendo Petro, sic scribit: *Quid hoc animo possit esse modestius? post tanta taliaq; benefacta, cū nihil opus haberet Petro, nec illius egeret voce sed honore par esset illi (nihil n. hic dicam amplius) tamen ascendit velut ad majorem & seniore.* Et Ambrōsius lib. 2. de Spiritu sancto: *Unā gratia fulgebat in his, quos Spiritus unus elegerat. Nec Paulus inferior Petro.* Et Leo Serm. i. de Natali Petri & Pauli: *Quos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Ecclesiæ membra provexit, ut eos in corpore, cujus Caput est Christus, quasi geminum constitueret lumen oculorum. De quorum meritis atq; virtutibus, quæ omnem loquendi superant facultatem, nihil diversum, nihil debemus sentire discretū, quia illos & electio pares, & labor similes, & finis fecit æquales.*

25. Respondeo. Hïc multa contra te sunt; contra nos nihil. Ac primò contra te est, quod ait Chrysostronus, Paulum honore parem esse Petro. Nam tu dicis (lib. 1. c. 5. nu. 13.) Petrum,

utpo-

utpote primogenitum omnium Apostolorū, honore omnes præcedere. Secundò, quod ait Ambrosius, Paulum non esse inferiorem Petro. At tu dicis (lib. 1. c. 9. per totum) Petrum habere multas prærogativas, quibus reliquos Apostolos excellit Tertiò, quod ait Leo, Petrum & Paulum esse pares electione: quod tu negas lib. 1. c. 5. n. 10. & seqq.

26. Quòd autem supradicti Patres nihil contra nos habeant, facile ostendam. Nam duplex potest institui comparatio inter Petrū & Paulum. Una, quoad sapientiam, sanctitatem, laborem, zelum, & honorem qui ex illis consequitur: Et sic Paulus potuit esse par Petro. Quod manifestè significat Leo cum ait: *De quorum meritis atq; virtutibus nihil debemus sentire discretum.* Altera, quoad jurisdictionē: Et sic Petrus erat major Paulo, ut sæpè ostensum est.

II. OBJECTIO.

Evangelium reprobatur Primatum inter Apostolos.

27. **H**Oc probas ex contentione Apostolorum de Primatu, & responsione Christi, (lib. 1. c. 11. n. 1. & 2.) Nam cum Apostoli contenderent, quisnam illorum esset major? Respondit Christus: Luc. 22. 25. *Reges gentium dominantur eorum. & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui major est*

est in vobis, fiat sicut minor. Hinc ita concludis: Omnes Apostoli, etiam Petrus, contēdebant de Primatu: At si Petro erat promissus Primatus, cur contendit? Secundò, Christus omnibus eripit cogitationem de Primatu temporali, cum ait: *Vos autem non sic.* Similiter de Primatu & jurisdictione spirituali, cum ait: *Qui major est in vobis, fiat sicut minor.*

28. Respondeo. Hic notanda est duplex contradictio in tuis verbis. Una est, quia hoc loco dicis, Apostolos contendisse de Primatu temporali, quis scilicet illorum futurus esset primus in regno Christi temporali, quod somniabant. Verba tua sunt hæc: *Appetitus naturalis humanus propria excellentia, & in alios dominatus, Apostolorum animos adhuc imperfectos nec parum, nec raro titillavit. Quia enim Messiam dominatione temporali Regem Israel in mundo regnaturum, ex sacris scripturis non benè intellectus, & communi Hebraorum intelligentia existimabant, magnas sibi apud Christum, quem Messiam agnoverant, dignitates pollicebantur; quippe qui ipsius primi essent affectu & familiares. Et cum duodecim essent, inter ipsos etiam unum aliquem primum locum habiturum autumabant. Et infra: Debit quidem animos eorum à temporalibus dignitatibus abducere, quas etiã sibi somniabant, &c.* At cap. 9. n. 6. planè contrarium asseris his verbis: *Respondet Bellarminus, errasse quidem Apostolos, quia temporalem principatum somniabant; & hunc errorem Dominum sapè correxisse. De hoc tamen temporali mundi hujus princi-*

patu, Apostolos tunc nihil cogitasse, sed de sola praelatione Petri supra ipsos Apostolos, satis est apertum.

Quomodo cohærent hæc duo: Apostoli nihil cogitabant de temporali principatu: Et, Apostoli existimabant Messiam dominatione temporali in mundo regnaturum, & magnas sibi apud illum dignitates pollicebantur.

29. Altera est: quia hoc loco in summa capitis II. sic habes: *Christus nudum ministerium, sine jurisdictione dedit Apostolis.* At cap. 3. n. 31. contrarium asserebas his verbis: *Christus immediate concessit Apostolis potestatem ordinis, & jurisdictionem plenissimam.* Nonne hæc aperta contradictio est, Dare nudum ministerium sine jurisdictione: Et, Dare plenissimam jurisdictionem? Et quamvis in priori loco videaris loqui de jurisdictione humana, hoc tamen nõ obstat. Vel enim loqueris de humana, id est, à puro homine accepta; & sic nihil ad rem: Vel de humana, id est, homini à Christo concessa; & sic manet contradictio.

30. Objectio tua, quam à Lutheranis accepisti, nullius momenti est; & iam pridem à Cardinale Bellarmino & alijs Catholicis refutata. Ad illos te remitto. Obiter tamen attingam, quid respondendum sit. Apostoli cogitabant de Primatu aliquo temporali, quem apud Christum essent habituri. Hoc supra cap. 6. prærogativa septima, ostensum est. Et tu paulo antè fassus es. Christus eripit illis hanc cogitationem, his verbis: *Vos autem non sic.* Et simul suo exemplo hortatur, ut quis-

quis inter ipsos habiturus esset Primatum Ecclesiasticum, servaret modestiam ac humilitatem; nec se superbè efferret super alios. *Qui, inquit, major est in vobis, fiat sicut minor.* Simile monitionem habemus de Primatu Regis in Veteri Testamento, Deut. 17. 18. *Postquam sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomiū legis hujus in volumine.* Et paulo post: *Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos.* Sicut ergo hinc non possumus inferre, Regem Veteris Testamenti non habuisse jurisdictionem in suos fratres, quia debebat servare modestiam, & non elevare se super fratres suos, quod solent facere Reges gentiles: Ita in simili, non possumus inferre, Petrum non habuisse jurisdictionem Ecclesiasticam in suos fratres, quia debebat illis servire & ministrare. Alioqui, quid dicemus de Christo? Habuit certè plenissimam jurisdictionem in Apostolos, & tamen ministrabat illis. (*Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.*) Cum ergo suo exemplo hortatur Prælatos Ecclesiæ ad simile ministerium, non tollit ab illis jurisdictionem, sed humilitatem commendat.

III. OBJECTIO.

Ipsi Apostoli in Petro non agnoverunt Primatum.

31. **H**Oc sic probas, c. 11. n. 7. Apostoli, postquam Petro dictum esset, *Tu es Petrus,*
&

& Tibi dabo claves regni cælorum; adhuc contendebant de Primatu: Ergo nõ agnoverunt, Petro per illa verba promissum esse Primatũ; alioqui desissent contendere. Respondeo. Apostoli ex una parte persuasi erant regnum Christi fore temporale: ex altera audiverant Christum moriturum, & Petrum ipsius loco habiturum claves regni cælestis, id est, Primatum Ecclesiasticum. Sed prior cogitatio erat magis ipsis infixæ, quàm posterior. Imò nec Petrus, nec alij Apostoli credebant, Christum moriturum, tametsi clarissimè hoc ipsis esset significatum. Matth. 16. 21. *Exinde cepit Jesus ostendere Discipulis suis quia oporteret eum ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. Et assumens eum Petrus, cepit increpare illum dicens: Absit à te Domine: Non erit tibi hoc.* Et Luc. 9. 44. *Filius hominis, futurum est, ut tradatur in manus hominum: At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos.* Certè, si vel non credebant, vel non intelligebant, Christũ esse moriturum, quod tam clarè ipsis dicebatur; quid mirum est, si non multum solliciti fuerint de futuro Petri primatu post mortem Christi: præsertim cum altera cogitatio de regno Christi temporali prævaleret.

32. Si hoc non capis, Marce Antoni, exemplum sume à teipso. Promissio tibi facta erat in statu religioso, cùm abdicabas te rebus temporalibus: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut a-*

quæstionem de circumcissione, non ad solum Petrum, sed ad omnes Apostolos ac Seniores. Debuissent autem ad solum Petrum deferre, si ille fuisset supremus Rector Ecclesiæ, & Judex controversiarum.

34. Respondeo. Hæc omnia desumpsisti ex Lutheranis & Calvinistis. Sed cur dissimulas alia multa, quæ Petrus gessit in suo Primatu? Solus sua autoritate convocavit omnes Discipulos ad electionem novi Apostoli. Primus promulgavit Evangelium Hierosolymæ. Primus item prædicavit gentibus Evangelium, Primus sententiam dixit in Concilio Hierosolymitano, Hæc omnia omittis. Quæ autem objicis, nullius ponderis sunt. Ad singula sic respondeo.

35. Ad 1. non valet hæc consequentia: Omnes Apostoli instituerunt primos Diaconos, & non solus Petrus: Ergo Petrus non habebat Primatum. Sicut neque hæc: Omnes Principes Angliæ sanxerunt legem de juramento fidelitatis, & non solus Rex; Ergo Rex non habet Primatum. Neque item hæc: Omnes Episcopi Dalmatiæ fecerunt, hunc aut illum Actum jurisdictionis Ecclesiasticæ, & non solus Marcus Antonius: Ergo Marcus Antonius non fuit Primas Dalmatiæ. Non enim necesse est, solum Regem in suo regno; solum Imperatorem in suo imperio, solum Archiepiscopum in sua provincia exercere quosvis actus jurisdictionis & potestatis, sine aliorum ope & auxilio. Multo minus
valet

valet hæc consequètia: Petrus in illo actu, quo constituebantur primi Diaconi, non exercuit Primatum Ecclesiasticum: Ergo nunquam exercuit. Et tamen mirificè tibi places in his & similibus tuis argutiis. Quanquam non argutiæ, sed stupiditates sunt.

36. Ad 2. Triplex potest esse missio. Prima ex imperio. Sic Rex, aut Princeps, aut Dominus mittit subditum aut servum. Secunda, ex consensu. Sic Deus Pater mittit Filium in hunc mundum; & Filius Spiritum sanctum. Tertia, ex consilio & directione. Sic consiliarij mittunt Regem ad bellum. Igitur Petrus missus est, non ex imperio, sed ex consensu & consilio Apostolorum. Ex qua missione non sequitur, Petrum vel æqualem vel inferiorem Apostolis fuisse. Nam superior potest hoc modo mitti ab inferioribus.

37. Ad 3. Hæc illatio nulla est: Quæstio de circumcissione non fuit delata ad solum Petrum, sed ad concilium Apostolorum & Seniorum: Ergo Petrus non habebat Primatum Ecclesiæ. An non plurimæ controversiæ civiles deferuntur ad Parlamentum Parisiense? An non plurimæ ad Senatum regium in Anglia? Nec ideo sequitur, Regem Galliæ aut Angliæ non habere Primatum in suo regno. Audi Antoni, quod res est. Sicut in regno Angliæ possunt controversiæ civiles deferri, vel ad solum Regem, vel ad Senatum Regis, præsentem Rege: Sic etiam in Ecclesia possunt controversiæ Ecclesiasticæ deferri, vel ad ipsum Pötificem,
vel

vel ad concilium, cui præest Pontifex. Sicut ergo non destruitur autoritas concilij, per hoc præcisè, quòd aliqua controversia deferatur ad solum Pontificem; ita vicissim non destruitur autoritas Pontificis per hoc, quòd aliqua controversia deferatur ad concilium, cui præest Pontifex, & non ad solum Pontificem. Res clara est. Sed cur illa controversia de circumcissione potius fuit delata ad concilium, quàm ad solum Petrum? Facilis responsio: Ut decisio fieret cum majori partium satisfactioe. Nam partes litigantes facilius acquiescunt, quando constat controversiam ex communi Ecclesiæ consensu decisam esse.

V. OBJECTIO.

Pauli reprehensio destruit Primatum Petri.

38. **H**Oc sic probas: Paulus in Epist. ad Gal. cap. 2. 11. scribit, se in faciem restitisse Petro, quia reprehensibilis erat: Ergo Petrus non fuit Caput Ecclesiæ; alioqui Paulus fuisset arrogans & procax, quod Capiti Ecclesiæ ausus esset resistere. Hoc argumentum fusè persequeris, adductis multorum Patrum testimonijs, ad confirmandum Petri errorem, & justam Pauli objurgationem. Respondeo. Nō opus est tot testimonijs. Fatemur Petrum errasse: non quidem in aliquo fidei articulo, in quo errare non poterat, juxta illam Christi pro-

promissionem; *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua*: sed in factò, quia incautè simulabat Judaisinum, cum aliquo scandalo & offensione gentilium. Fatemur etiam, Paulum apertè illi restitisse, quia meritò iudicabat ejusmodi simulationem non esse tolerandam, eo quòd esset scandalosa. At tuæ consequentiæ, quas hinc nectis, non valent. Non enim sequitur: Petrus fuit à Paulo reprehensus: Ergo non habuit Primatum Ecclesiæ. Sicut in simili non sequitur: David fuit reprehensus à Joab (2. Regum 19.5.) Ergo non habuit Primatum regni. Imò multi Patres ex hac ipsa Petri reprehensione docent, superiores posse corrigi ab inferioribus, quando fit cum debita humilitate & charitate, ut Augustinus Epist. 19. ad Hieronymum, Cyprianus Epist. ad Quirinum, de Hæreticis rebaptizandis, Gregorius Hom. 18. In Ezechielem, Divus Thomas in 2. secundæ quæst. 33. art. 4 ad 2.

39. Similiter non sequitur, Paulum fuisse arrogantem & procacem, quòd ausus sit Capiti Ecclesiæ in faciem resistere; quia fecit hoc bono zelo, ad tollendum scandalum, quod ortum erat ex incauta Petri simulatione. Sicut nec ipse Joab censetur fuisse procax & arrogans, quòd ausus sit suum Regem ob ipsius peccatum arguere & objurgare. Et aliunde constabat Paulo, Petrum propter modestiam & humilitatem, qua erat præditus, non ægrè laturum fraternam correptionem, quam sciebat ex bona intentione provenire.

40. De hoc Petri & Pauli facto sic scribit Augustinus loco citato: *Ipse Petrus, quòd à Paulo fiebat utiliter libertate charitatis, sancta ac benigna pietate humilitatis accepit: Atque ita rarius ac sanctius Exemplum posteris præbuit, quo nõ dedignarentur, sicubi fortè recti tramitem reliquissent, etiam à posterioribus corrigi; quam Paulus, quo confidenter auderent, etiam minores majoribus, pro defendenda Evangelica veritate, salva fraternâ charitate, resistere.*

41. Et certè Paulus, non tantùm suo exemplo, sed etiam scripto docuit, superiores aliquando moneri & corrigi posse ab inferioribus, servata semper debita charitate ac subjectione. Sic enim scribit ad Colossenses cap. 4. 17. *Dicite Archippo: vide ministerium, quod accepisti à Domino ut illud impleas.* Erat Archippus ille Colossensium Episcopus, successor Epaphræ, qui tunc captivus Romæ tenebatur in vinculis, ut scribit idem Paulus in Epist. ad Philemonem vers. 23. *Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu.* Si ergo Paulus mandat Colossensibus, ut moneant Episcopum sui officij; quid mirum est, si alij quoq; subditi possint aliquando suos Prælatos, vel monere, vel reprehendere, si necesse sit?

42. Et recta ratio hoc dictat. Nam laudabile est, opera misericordiæ, sive corporalia, sive spiritualia, servato debito modo ac ordine, præstare indigentibus: At peccantes corrigere, est opus misericordiæ spirituale;

le; Ergo laudabile est, servato debito modo ac ordine, hoc opus præstare indigentibus. At nõ minus Prælati, quàm subditi, possunt indigere correptione: & sæpè magis, quia sunt in altiori & periculosiori loco, ut rectè nõtat Augustinus in Regula ad servos Dei, circa finem, cum ait: *Non solum vestri, sed etiam Prælati miseremini quia inter vos, quanto loco superiore, tanto in periculo majore versatur.*

43. Hoc argumentum pulchre explicat Divus Thomas in 2. secundæ, quæst. 33 art. 4. in hunc ferè modum: Duplex est correctio: Una justitiæ; quæ fit per inflictionem legitimæ pœnæ: Altera charitatis, quæ fit per fraternam correptionem. Prior convenit solis Prælati, respectu subditorum; quia requirit jurisdictionem, quæ in solis Prælati est. Posterior convenit tam subditis, quàm Prælati; quia est actus charitatis; quæ ad omnes proximos, sive Prælatos, sive subditos, se extendit. Tenemur n. omnes ex charitate diligere; ac proinde omnes peccantes corripere, servatis ijs circumstantiis, quas charitas exigit. Non exigit autè charitas, ut eadem libertate & autoritate corripiamus Prælatos, qua subditos: Sed exigit, ut Prælatos cum reverentia & subjectione; subditos cum mansuetudine & patientia, quantum fieri potest, objurgemus.

44. Nondum acquiescis, mi Antoni. At Patres sic argumentari: Paulus non reprehendisset Petrum, si agnovisset illum pro supremo Ecclesiæ Capite seu Monarcha. Et citas ex

Hic.

eronymo, apud Gratianum 2. q. 7. c. Paulus
 c verba: *Paulus Petrum reprehendit: quod non
 leret, nisi se non imparem sciret.* Et ex Ambro-
 ad cap. 2. Epist. ad Galat. *Quis eorum aude-
 Petro primo Apostolo, cui claves regni caelorum
 minus dedit, resistere, nisi alius talis, qui fiducia
 tionis suae sciens se non imparem, constanter im-
 obaret, quod ille sine consilio fecerat.*

45. Respondeo. Tu pervertis sensum il-
 rum Patrum. Nam Gratianus disertè mo-
 et; Paulum dupliciter conferri posse cum Pe-
 o. Primò, quoad Ecclesiasticam dignitatem.
 eundò, quoad puritatem vitæ & conversa-
 tionis. Priori modo; Paulum fuisse imparem,
 in inferiorem: Posteriori, non imparè. Quod
 declarat duplici exemplo. Uno Augustini,
 qui scribit, se majorem esse Hieronymo, ra-
 tione Episcopatus: minorem, ratione virtu-
 um. Alterò ejusdem, qui alibi scribit, Cypria-
 num fuisse æqualem Petro in martyrio; mino-
 rem in potestate. Igitur ex sententiâ Gratiani,
 sic argumentandum est: Paulus non auderet
 Petrum reprehendere, nisi sciret se non impar-
 em in puritate vitæ & conversationis. Non
 autem sic: Nisi sciret se non imparem in Ec-
 clesiastica potestate. Ratio est, quia qui alium
 reprehendit, debet esse immunis ab illo vitio,
 de quo illum reprehendit: At Paulus repre-
 hendebat Petrum de mala cōversatione cum
 Judæis & gentibus: Ergo non ausus fuisset il-
 lum reprehendere, nisi scivisset se esse immu-
 nem ab hoc vitio; & in puritate conversatio-

expurgatorium statim non conjecerit, quippe ipsum primum & supremum Papam, adeo deprimentem, & ipsius errores exaggerantem. Certè Petri Successores tales Epistolas & libros, qui ipsorum errata & reprehensiones rationabiles continent, jam ferre nolunt, proscribunt eos, & diris devovent. Expectandum profectò, ut si planè nostri Papa viderint, ex Evangelio canonico Papatum destrui; Evangelium etiam ipsum in librorum prohibitorum Indictam detrudant.

48. Hic appàret verum esse, quòd Christus dicit in Evangelio: *Ex abundantia cordis os loquitur. Et, malus homo de malo thesauro cordis sui profert malum.* Multiplex malum ex thesauro tuo profers. Primò, Petrum Apostolum, per ironiam ac derisum, vocas summum, & cælestiæ Monarchiam, & supremum Christi Vicarium. Si non volebas parcere Pontifici, percisses saltem Petro, qui in Evangelio ab ipso Christo laudatus est: *Beatus es Simon Barjona.*

Secundò, aliam injuriam illi facis, quia insinuas, tui similem, ac vindictæ appetentem esse. Tu certè, quia à Pontifice reprehensus es, vindictam paras, & de Sede Apostolica conaris illum deturbare. At Petrus meliori animo est. Reprehensus fuit à Paulo: non indignatur: non ægrè fert: non stringit calamum, ut tu facis.

Tertis, etiam Paulo injuriam irrogas, quasi ipse depresserit Petrum, & ipsius errores exaggeraverit. Invidiosa sunt hæc verba. Non voluit

illum deprimere, sed à lapsu erigere : non errores exaggerare, sed errorem corrigere.

Quartò, similem labem aspergis Petri successoribus; quasi ipsi nolint sua errata corrigi; nolint moneri officij sui: sed eos, qui hoc taverint, proscribant ac diris devoveant. Temerarium hoc iudicium & falsum est.

Quintò, augeas hanc injuriam Antoniano prælagio; quasi Pontifices Romani eò dementiæ tandem sint progressuri, ut ipsum quoque Evangelium in librorum prohibitorum indicem detrudant. Vide, ne hoc prælagium in te impleatur.

49. Hæc omnia eò spectant, ut tibi, homini Apostatæ ac rebelli, impune liceat scribere, quod lubet: Et non liceat Pontifici facere, quod sui officij est. Nunquam hoc obtrinebis. Proscribet tuas, & tuis similes calumnias, hæreses, & schismata: sicut olim, & pij Imperatores, & boni Pontifices fecerunt. Sicut etiam nuper à Theologis Parisiensibus factum est; qui gravi censura tuos libros perstrinxêre. Sed quia precibus illam censuram extorsisti, non est, quod tibi ipsis succenseas.

VI. OBJECTIO.

Pauli scripta destruunt Primatum Petri.

50. **Q**UOD sic probas. Primò, quia quando Paulus nominat insigniores Apostolos, Petrum alijs postponit, ut Gal. 2. 9. *Jacobus & Cephas, & Joannes.* Secundò, quia ibidem nõ de solo Petro, sed etiam de Jacobo & Joanne dicit: *qui videbantur columna esse.* Ergo Jacobũ & Joannem Petro exæquat. Tertiò, quia Jacobus, Petrus, & Joannes dederunt dextras Societatis Paulo & Barnabæ; ut hi in gentes, illi verò in circumcisionem ferrent Evangelium. (ibidem) At istæ dextræ Societatis repugnant Primatui Petri. Quartò, quia Paulus 2. Cor. 12. 11. scribit: *Nihil minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli.* Quæ verba magnum præjudicium faciunt Primatui Petri. Sic tu.

51. Respondeo. Piget in istis quisquilijs hæreret. Sed tamen, ut est in Proverbijs, *respondendum est stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* Ac primò, non est certum, Petrum medio, non primo loco, positum esse à Paulo. Nam, ut benè notatum est à Cardinale Bellarmino, multi Patres, præsertim Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, & Hieronymus, primum locum illi assignant. Esto tamen; medio loco inter Jacobum & Joannem positus sit. Cur in eo vim facis? Cur non potius in eo, quòd non semel, sed sæpius in Evangelio positus sit primo loco, quando omnes Apo-

stoli simul recensentur? conferamus hæc duo inter se. Tu ais, semel non esse positum primo loco: Ego, sæpè positum esse primo loco. Tu, semel positum esse post unum: Ego, sæpè positum esse ante omnes. Tibi multi cōtradicunt, ut Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus: Mihi, nullus: ne tu quidem. Uter ergo melioris causæ patronus est?

52. Addo, nec Paulum, quocunq; loco posuerit Petrum, tibi patrocinari. Nam in eadē Epistola ad Galat. c. 1. disertè scribit, se venisse Hierosolymam, ut videret Petrum, & quindecim diebus apud eum mansisse. Cur nõ venit ad Jacobum & Joannem? Nimirum, quia pluris Petrum, quàm illos æstimabat. Unde Ambrosius circa illum locum: *Dignum fuit, inquit, ut cuperet videre Petrum, quia Primus erat inter Apostolos, cui delegaverat Salvator curam Ecclesiarum.* Et Hieronymus in Epist. ad Augustinum (quæ est undecima inter Epistolas Augustini) *Tanta Petrus auctoritatis fuit, ut Paulus in Epistola sua scripserit: Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum.* Et Chrysostomus Homil. 87. in Joannem: *Os erat Apostolorum & Princeps: propterea & Paulus cum præter alios visurus ascendit.* Et Theodoretus in c. 1. ad Galatas: *Etenim cum humana doctrina nõ indigeret, ut qui ab universorum Deo eam accepisset Apostolorum Principi, quem par est, honorem detulit.* Et Oecumenius ibidem: *Post tot tantaq; certamina abiit, ut videret Petrum, tanquam majorem. Ut autem etiam maneret, causa honoris, quem Petro deserebat factum est.*

53. Jam verò ex eo, quod Paulus scribit de Petro, Jacobo & Joanne; *Qui videbantur columna esse*, non rectè inferis, duos illos Petro fuisse æquatos. Nam inter plures columnas una potest esse sublimior, quàm altera. Sicut suprà monui in simili casu, inter plures summos, unum posse altiorè esse, quàm reliquos. Et habemus manifestum exemplum in scriptura, Proverb. 9. 1. *Sapientia edificavit sibi domum, excidit columnas septem.* Ubi, juxta interpretes, per septem coluunas, vel intelliguntur Doctores Ecclesiæ, vel Sacramenta, vel dona Spiritus sancti. Et tamen non sequitur, vel omnes Doctores, vel omnia Sacramenta, vel omnia dona Spiritus sancti esse inter se æqualia. Imò constat, ubiq; esse magnam differentiam. Nam de Doctore legimus, Dan. 13. 3. *Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti: Et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas aternitates.* Jam verò, ut loquitur Apostolus, 1. Corinth. 15. 41. *Stella differt à stella in claritate.* Similiter certum est, inter Sacramenta, præcipuum esse Baptismum, quoad necessitatem: Eucharistiam, quoad præstantiam. Denique dona Spiritus sancti (quæ septem enumerantur ab Isaia, cap. 11. 2. nempe Sapientia, Intellectus, Consilium, fortitudo, scientia, pietas, timor Domini) nō sunt omnia inter se paria. Quomodo ergo ex eo præcisè, quòd tres Apostoli vocantur columnæ, putas convinci posse, æquales inter se esse? Nihil minus.

§4. Quod tertio loco objicis, Petrum, Jacobum & Joannem dedisse dextras Societatis Paulo & Barnabæ, verissimum quidem est; sed non rectè inde concludis, unum alteri non esse præferendum. Quasi verò, quicumq; dextras societatis sibi mutuo porrigunt, pares esse necesse sit. Nō ita est. Primò, quia societas potest esse inter inæquales, ut patet ex illo, 1. Joan. 1. 3. *Ut & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre & cum Filio ejus Jesu Christo.* Deinde, multi porrigunt sibi invicē dextras, qui honore & autoritate inter se differunt. Nam Jehu Rex dicit Jonadab, filio Rechab, 4. Reg. 10. 15. *Nunquid est cor tuum rectū, sicut cor meum cum corde tuo? Et ait Jonadab: Est. Si est, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei manū suam.* An ideo Jehu & Jonadab æquales? Nullo modo. Nam alter Rex erat; alter homo privatus.

§5. Illud denique; *Nihil minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli*, non intelligitur de jurisdictione, quasi velit dicere, se nulli Apostolorū cedere in potestate jurisdictionis, ut tu perperam contendis, sed partim de revelationibus, partim de laboribus & miseriis pro Christo susceptis, partim de prodigijs & miraculis ab eo patratīs: In quibus omnibus se ait nemini imparem esse. Hoc patet ex ipso cōtextu. Nam de revelationibus sic loquitur: *Si gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem ad visiones & revelationes Domini.* Et postea pergit: *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus*

tibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Cum enim infirmior, tunc potens sum. Factus sum insipiens: vos me coegistis. Ego enim à vobis debui commendari: Nihil enim minus fui ab iis, qui sunt supra modum apostoli, tamen si nihil sum: Signa tamen Apostolatus mei sunt super vos in omni patientia, in signis & prodigijs & virtutibus. Nulla hic mentio jurisdictionis. Sed tu, Marce Antoni, ut hæretici solent, detorques omnia ad tuum sensum. Pudeat imposturæ.

VII. OBJECTIO.

Ex comparatione Petri & Pauli.

56. **H**anc comparationem instituis ex scriptura, & Patribus. Ex scriptura sic. Sicut Petro dictum est, *Pasce oves meas*, id est, cõmendo tibi ovile meum, Ecclesiam meam: ita Paulus de seipso dicit, 2 Cor. 11. 11. 28. se premi cura & sollicitudine omnium Ecclesiarum; Ergo non minus Paulo, quàm Petro totius Ecclesiæ cura commissa est.

57. Respondeo. Cura & sollicitudo Ecclesiarum duplex est. Una oritur ex justitia: altera ex zelo & charitate. Prior debet esse in Prælaris Ecclesiæ, qui habent jurisdictionem Ecclesiasticam. Posterior potest esse in omnibus, qui charitate præditi sunt. Igitur Petrus habuit curam Ecclesiæ ex justitia, quia habuit jurisdictionem in totam Ecclesiam: *Quæ ju-*

rifdictio significatur per verbum, *Pasce*, ut cap. 3. explicatum est. Paulus verò loquitur de posteriori cura & sollicitudine, quæ oritur ex charitate. Cùm enim recensuisset labores, carceres, plagas, famem, sitim, & alias miserias, quas pro Christo sustinebat; mox subjicit: *Præter illa, quæ extrinsecus sunt, instans mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* His posterioribus verbis explicat, unde oriatur illa sollicitudo. Nempè ex duobus actibus charitatis. Primò, ex dolore charitatis, quem percipiebat ex miseria proximi. *Quis, inquit, infirmatur, & ego non infirmor?* Quasi dicat: Infirmor cum infirmantibus, doleo cum dolentibus, lugeo cum lugentibus. Secundò, ex amore & zelo charitatis, quo accensus urebatur. *Quis, inquit, scandalizatur, & ego non uror?* Quasi dicat: Quando aliquis patitur scandalum, tanto zelo & amore accenditor ad tollendum illud scandalum, ut quodammodo uri videar.

§ 8. Non igitur cura Ecclesiarum, de qua Paulus loquitur, oriebatur ex obligatione justitiæ; sed ex duplici actu charitatis, dolore scilicet & amore. Quod etiam tuo exemplo facile confirmabo. Nam in expositione consilij profectiois tuæ, disertè scribis te (quasi alterum Paulum) *semper habuisse desiderium unionis omnium Christi Ecclesiarum: & anxie perspexisse, an possit aliqua excogitari via, omnes Christi Ecclesias ad veram antiquam unionem componendi.*

di. Unde hoc tantum desiderium, mi Antoni? An ex obligatione justitiæ? Non opinor te id dicturum. An ex zelo & fervore charitatis? Hoc dabis, sine dubio. Sed quæro, an hinc inferes, quod de Paulo inferebas, non minus tibi, quàm Petro, totius Ecclesiæ curam à Christo commendatam esse? Non, si sapias.

59. Nec obstat, quod Paulus de seipso scribit 1. Cor. 9. 16. *Si Evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas n. mihi incumbit. Va n. mihi est, si non Evangelizavero.* Non enim loquitur de necessitate justitiæ, sed obedientiæ: Neque de regimine Ecclesiæ, sed de Evangelij prædicatione. Nam ex obligatione præcepti tenebatur apud Gentiles prædicare Evangelium: sicut etiam hoc tempore tenentur Patres Societatis, quando ex virtute obedientiæ mittuntur à Romano Pontifice. At non tenebatur ex obligatione justitiæ gubernare totam Ecclesiam, quia hoc nusquam erat illi commissum: sicut etiam hoc tempore nō committitur Patribus Societatis. Utor hoc exemplo, quia tibi notū est. Si tamen vis, aliud accipe. Archiepiscopus Cantuariensis, si obedientiam illi promitteres, posset tibi mandare, ut per totum ipsius Archiepiscopatum, conciones ad populū haberes. An ideo totius Archiepiscopatus Ecclesiarum regimen tibi committeret? Nullo modo. Et tamen non malè diceres: *Va mihi est, si non Evangelizavero: necessitas enim mihi incumbit.* Quæ necessitas? Non justitiæ, sed obedientiæ & Præcepti. Jam capis mysterium.

60. Non suecessit ex scriptura comparatio Petri & Pauli, quam urges. Videamus quid ad eandem astruendam adferas ex Patribus. Patrum testimonia, quæ adducis sunt hæc. Irenæus lib. 3. contra hereses, ca. 13. *Ipsius (Dei) Petrus erat Apostolus, cujus & Paulus.* Ubi Petrū reducit ad paritatem cum Paulo: non tamen eum præfert Paulo.

Clemens lib. 7. constit. Apost. c. 1. inducit Apostolos de Petro sic loquentes: *Ananias & Saphira, Petri coapostoli nostri sententia, morte sunt affecti.* Non vocant illum Principem aut Monarcham, sed coapostolum, tanquam parem.

Geladius in Tomo de vinculo anathematis, statim in initio, Paulum vocat *coapostolū Petri.*

Augustinus lib. 2. de Baptif. contra Donatistas, c. 4. vocat *collegam Petri.* Et lib. 2. de peccatorum meritis & remiss. c. 13. de Paulo sic loquitur: *Verum etiam in ipso Evangelio, ubi & tanti Apostolatus meruit principatum.* Et in Psal. 130. *Paulus Apostolus, quam vis ex persecutore factus sit predicator, abundantio rem gratiam consecutus est in omni labore Apostolico, quam ceteri Apostoli.*

Origenes lib. 1. contra Celsum, Paulū vocat *fundatorem Ecclesiarū, post Christum, præcipuum.*

Nazianzenus in Apolog. circa medium, ait Petrum & Paulum, *Verbi & Sapientia & gubernationis gratiam à Christo percipere meruisse.* Et numerans eos, qui populo præfuerunt in Testamento Novo, ponit primum Joannem Baptistam: proximè verò duodecim Apostolos.

Cyrillus Hierosolymitanus catech. 6. *Er-*
tozem

rorem (Simonis Magi) latius se proferentem coar-
guerunt duo viri boni huc perlatis, Petrus & Paulus,
Ecclesia Præfetti.

Ambrosius lib. 2. de Spirit. sanct. in fine: U-
na enim gratia fulgebat in his, quos Spiritus unus
elegerat. Nec Paulus inferior Petro, quam vis ille
Ecclesia fundamentum, & hic sapiens architectus,
sciens vestigia credentium fundare populorum. Nec
Paulus indignus Apostolorum collegio, cum primo
facile conferendus, & nulli secundus. Nam qui se
imparem nescit, facit aequalem.

Idem Ambrosius serm. 66. de Natali Petri
& Pauli. Beati Petrus & Paulus eminent inter u-
niversos Apostolos, & peculiari quadam præroga-
tiva præcellunt. Verum inter ipsos, quis cui præpo-
natur, incertum est. Puto enim eos aequales esse me-
ritis, qui aequales sunt passione.

Leo Papæ serm. 1. In Natali Sanct. Petri &
Pauli. Quos gratia Dei in tantum apicem inter o-
mnia Ecclesia membra prorexit, ut eos in corpore,
cui Caput est Christus, quasi geminum constituerit
lumen oculorum.

Chrysostomus, quicquid tribuitur Petro,
tribuit etiam Paulo. Petro tribuitur, quod fu-
erit *petra & fundamentum Ecclesia*. At Chryso-
stomus Homil. 2. in Epist. ad Roman. tribuit
Paulo, quod fuerit *columna Ecclesia, petra, ferro
& adamante firmior*. Petro tribuitur, quod fue-
rit *Coryphaeus Apostolorum*. Chrysostomus Ho-
mil. 18. ad Roman. idem dicit de Paulo, Petro
dicitur Ecclesia commissa. Chrysost. Homil.
ultima, dicit Paulum electum à Deo, cui res or-
bis

bis, mysteria cuncta, universamque dispensationem concederet.

Idem Chrysostomus plus tribuit Paulo quã Petro. Nam Homil. 12. in posteriorem ad Corinth. sic scribit de Paulo: *Ille non solum, quæ sua curabat cū sollicitudine, sed etiam, quæ totius mundi.* Et ibidem: *Duplex illi cura erat pro orbe terrarum: & quomodo necessaria non deficerent, & quomodo spiritualia abundarent.* Hæc tu hæctenus, Marce Antoni.

61. Respõdeo. Vel agis de jurisdictione Petri & Pauli, vel de virtutibus, laborib. & meritis eorum. Si agis de jurisdictione (de qua inter nos disputatio est) non rectè citasti hos Patres. Nam aliqui illorū dicunt, Paulum Petro præcellere: alij æqualem esse: alij dubiū esse, uter præcellat. Quod de jurisdictione intelligi non potest. Alioqui Patres inter se essent contrarij. Non n. cohærent inter se hæc tria. 1. Paulus præcellit Petro jurisdictione. 2. Paulus par est Petro jurisdictione. 3. Dubiū est, uter præcellat jurisdictione. Si a. agis de eorum virtutibus, laboribus, & meritis, tunc quidem rectè citasti hos Patres; sed nihil ad rem, de qua disputamus. Non n. inter nos quaestio est de virtutibus & meritis, sed de sola jurisdictione. Igitur extra rem omnia sunt, quæ adducis. Patres tamen non pugnant inter se. Nam benè cohærent inter se hæc tria. 1. Paulus in laboribus & ærumnis præcellit Petro. 2. Paulus est par Petro, quia uterq; est Apostolus Christi. 3. Incertum est nobis, uter alteri præcellat meritis apud Deum.

62. Hinc omnia testimonia, quæ adduxisti, facile conciliantur & explicantur. Nam Irenæus, Clemens, & Gelasius faciunt Paulum Petro æqualem, si præcisè spectes Apostolatam. Uterque enim fuit Apostolus Christi. Rectè igitur Paulum vocant coapostolum Petri; & Petrum coapostolum aliorum. Eodè sensu Augustinus Paulum vocat collegam Petri. Quando verò idem Augustinus præfert Paulum, loquitur de laboribus, ut ipse se explicat. *Abundantiorem, inquit, gratiam consecutus est in omni labore Apostolico quam ceteri Apostoli.* Quod etiam Paulus de se fatetur, 2. Corinth. 11. 23. *Ministri Christi sunt: plus ego, in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum &c.*

63. Origenes tibi contrarius est, non nobis. Nam cum ait: Paulum esse præcipuum fundatorem Ecclesiarum post Christum; aperte insinuat Christum esse principalem Ecclesiæ fundatorem, quod tu negas. Contendis enim Ecclesiam, non à Christo, sed ab Apostolis fundatam esse post Christi ascensionem, ut lib. 1. c. 1. ostensum est. In eo a. quòd Paulum constituit proximum post Christum, præferendo illum alijs Apostolis in fundatione Ecclesiarum; non contradicit nobis. Fatemur enim, Paulum plus laborasse, quàm Petrum; & plures Ecclesias particulares ab illo per prædicationem Evangelij fundatas esse, quàm à Petro.

64. Nazianzenus sic habet: *Hunc morbum (id est studium inanis gloriæ) curare ac sistere Petrè*

Petri alicujus est aut Pauli, magnificorum Christi Discipulorum, eorum videlicet, qui una cum sermonis dispensatione, etiam charisma acceperunt, & omnibus omnia sunt, ut omnes lucrifaciant. An hinc putas colligi posse, Paulum Petro fuisse æqualem in jurisdictione? Parum sanus es, si hoc putas. Addit Nazianzenus: quoniam autem Pauli, & illi similibus mentionem fecimus, relictis reliquis omnibus, qui vel secundum legislationem, vel prophetiam, vel militarem ducatum, vel aliam consimilem dispensationem populo præfuerunt, quales fuerunt Moyses, Aaron, Josue, Helias, Helisæus, Judices, Samuel, David, Multitudo Prophetarum, Joannes, duodecim Discipuli, & qui illos sunt subsequuti, &c. his, inquam, relictis omnibus; solum Paulum exempli gratia proponamus. Non video, quid ex his verbis velis extundere. Fateor, quosdam ex illis præfuisse populo secundum legislationem; quosdam secundum prophetiam; alios secundum ducatum militarem; alios secundum aliam dispensationem. Sed quid tum? An ideo Petrus & Paulus æquales erant in potestate & jurisdictione? Non sequitur.

65. At, Cyrillus Petrum & Paulum præfectos Ecclesiæ vocat. Et hoc fateor. Addo, etiam Timotheum, Titum, Polycarpum fuisse Ecclesiæ præfectos. An igitur omnes in eo genere æquales? Non sequitur. Nisi valeat hæc similis consequentia: Omnes Episcopi in Anglia sunt præfecti Ecclesiæ: Ergo omnes sunt æquales: Ergo Archiepiscopus Cantuariensis nihil habet præ cæteris. Tu ipse vide, an hoc legitimè sequatur.

66. Ambrosius cum dicit: *Una enim gratia fulgebat in his quos Spiritus unus elegerat*: loquitur de Paulo & Barnaba, qui simul à Spiritu sancto electi erant ad ministerium. Act. 13. 2. *Ministrantibus autem illis Domino & jejnantibus, dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Quod testimonium explicans Ambrosius sic scribit: *Paruerunt ergo Paulus & Barnabas Spiritui sancto imperanti.* Et post pauca subdit: *Una enim gratia fulgebat in his, quos Spiritus unus elegerat.* Facta hac collatione inter Paulum & Barnabam, perguit conferre Paulum cum Petro, his verbis: *Nec Paulus inferior Petro, quamvis ille Ecclesia fundamentum & hic sapiens architectus, &c* ubi Petrum & Paulum facit æquales in Apostolatu, non tamen in jurisdictione Ecclesiastica. Pergit: *Nec Paulus indignus Apostolorum collegio, cum primo facile conferendus, & nulli secundus. Nam qui se imparem nescit, facit æqualem.* Loquitur de laboribus, in quibus Paulus nullo fuit inferior, 2. Corinth. 11. 23.

67. Leo Papa nihil aliud dicit, quam Petrum & Paulum esse duo Ecclesiæ lumina. Quis negat? At inter lumina, unum alio potest esse majus. Quod etiam fatetur Leo serm. 3. de Assumptione sua ad Pontificatum, ubi aperte asserit, *Petrum omnibus Apostolis, & cunctis Ecclesiæ Patribus præponi.*

68. Chrysostomus aliqua ex ijs, quæ tribuuntur Petro, tribuit etiam Paulo; sed non omnia. Nam ipsemet tribuit Petro Primatum

Ecclesiæ, quem Paulo non tribuit. Verba ejus cap. 4. citata sunt. De cura omnium Ecclesiarum, quàm tribuit Paulo, dictum est ad initium hujus objectionis.

69. Exijs, quæ hætenus dicta sunt, duo colligo. Primo, Patres in astruendo Petri Primatu, nobis adstipulari. Secundò, te, qui oppugnas Primatum Petri cum alijs rebellibus, sæpè tibi ipsi contrarium esse: nunc hoc, nunc illud asserere, prout occasio fert; non prout veritatis studium exigit. Deinceps de Pontifice Petri Successore dicendum est.



LIBER TERTIUS

DE PRIMATU ROMA-
ni Pontificis.

Hinc Primatum magno conatu ac studio oppugnus toto libro quarto. Et in eo oppugnando, plus laboris ac opere videris suscepisse, quam sortasse pro anima tua salute suscepturus es. Sed frustra. Nam defenso semel ac stabilito Primatu Petri, facile erit Primatum Pontificis, qui Petri successor est, defendere ac stabilire. Sunt autem hæc potissimum, quæ oppugnas. 1. Ecclesia Romana. 2. Pontifex Romanus. 3. Cardinales. 4. Nuncij Apostolici, qui in diversis provincias à Pontifice mittuntur. De Cardinalibus & nuncijs nihil dicam. Solum de Primatu Romana Ecclesia & Pontificis agendum est, ex quo reliqua dependent: Et, quo salvo, reliqua salva sunt. Agendum autem hoc ordine. 1. An Ecclesia Romana à Petro fundata sit? 2. An Petrus fuerit Episcopus illius Ecclesia à se fundata? 3. An Pontifex sit successor Petri in eadem Ecclesia? 4. An sit Caput seu Pastor totius Ecclesia, sicut Petrus fuit. In hæc ferè dissentis à Catholicis.

An Ecclesia Romana à Petro fundata sit?

1. **S**olent hîc multa disputari de Petro. 1. An fuerit Romæ. 2. An mortuus sit Romæ 3. An ibi Ecclesiam primus fundaverit. 4. An fuerit ibi Episcopus Ecclesiæ à se fundatæ. Aliqui ex Lutheranis negant hæc omnia. Tu, cū Calvino, concedis duo priora, propter consensum Patrum: Verba Calvini lib. 4. Institut. c. 6. §. 15. sunt hæc: *Propter hunc scriptorum consensum, non pugno, quin illic mortuus fuerit.* Tua verò, lib. 4. c. 1. n. 2. sunt hæc: *Petrum Romæ martyrio coronatū fuisse, malo assentiri, quàm reluctari, ob plurimorum sanctorum Patrum consensum.*

2. Reliqua duo, partim hoc capite, partim sequenti discutienda sunt. Ac primo, *An Ecclesia Romana primum à Petro fundata sit? Vel quod idem est; An Petrus Romæ Evangelium primus predicaverit, & Romanos ad fidem Christi converterit?* Tu Paulo potius hanc laudem tribuis, quàm Petro. Nam loco citato n. 9. sic scribis: *Si itaq; fundatio Romana Ecclesie spectetur, eam aut magis, aut non minus Paulo deberi, quàm Petro affirmamus. Par enim fuit, ut Civitas, quæ erat Caput Gentium, à Doctore Gentium primum insitueretur.*

3. Duplex hic error est. Alter Romanos à Doctore gentium, id est, à Paulo, primùm institutos esse in fide Christi. Quod est contra ipsum Paulum, Romanorum 1.8. ubi ait: *Fides vestra annunciat in universo mūdo.* Et tamen, cùm hoc scriberet, nondum fuerat Romæ. Nam mox subdit: *Desidero videre vos.* Et infra ibidem: *Sæpe propesui venire ad vos, & prohibitus sum usq; adhuc.* Ergo Romani jam erant fideles, antequam Paulus ad eos veniret. Non igitur per illum primò facti sunt fideles, ut tu fingis in odium Petri.

4. Alter est, foundationem Romanæ Ecclesiæ, vel magis, vel non minus deberi Paulo, quàm Petro. Quod est contra consensum Patrum, qui illam Petro potius tribuunt, quàm Paulo. Theodoretus in illud. Rom. 1.11. *Desidero videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratia spiritualis, ad confirmandos vos,* sic scribit: *Quia Pètrus primus Evangelij doctrinã illis tradiderat, subjungit: ad confirmandos vos. Quod perinde est, ac si diceret: Non aliam doctrinam vobis trado, sed traditam confirmare volo.* Igitur Petrus, ex sententia Theodoreti, primus fuit, qui Romanos ad fidem convertit: Paulus verò conversos cõfirmavit. Quid autem sit confirmare, dicam postea ex ipso Paulo. Et Paulus Orosius lib. 7. Hist. c. 6. *Exordio regni Claudij, Petrus Apostolus Domini nostri Jesu Christi Romam venit, & salutarem cunctis fidem, fideli verbo docuit, potentissimisq; virtutibus approbavit. Atq; exinde Christiani Roma esse cæperunt.* Nota, Exinde cæperunt

esse Christiani. Ergo ante Petri adventum, nō erant Christiani. Falsum igitur, quod a seris, à Paulo primū institutos esse; & illi potius, quàm Petro conversionem illorum deberi.

Et Leo Papa Serm. 1. de Natal. Apost. Petri & Pauli: *Cum Apostoli imbuendum Evangelio mundum, distributus sibi terrarum partibus, suscepissent, beatissimus Petrus, Princeps Apostolici ordinis, ad arcem Romani destinatur imperij. Nimirum, ut illam partem Evangelio imbueret. Et Epist. 60. ad Maximum Antiochenum Episcopum: Oportet dilectionem tuam ejus meminisse doctrina, quam precipuus Apostolorum omnium beatus Petrus, per totum mundum quidem, uniformi predicatione, sed speciali magisterio in Antiochena & Romana urbe fundavit. Quid est hoc, Speciali magisterio? Agnoscis, opinor, quid velim.*

Et Theodosius Imperator Cod. de Summ. Trinit. & fid. Cathol. *Cunctos populos, quos clementia nostra regit imperium, in tali volumus religione versari, quam Divum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio usque adhuc ab ipso insinuata declarat.*

Et Gregorius Turonensis lib. 1. Hist. Francorum, cap. 25. *Beatus Petrus Apostolus sub Imperatore Claudio Romam aggreditur, ibiq; predicans in multis virtutibus, manifestissime Christum esse Dei filium comprobavit. Ab illis n. diebus, Christiani apud civitatem Romanam esse cœperunt.*

5. Idem scribunt Eusebius lib. 2. Histor. cap. 14. Arnobius lib. 2. cont. Gentes, & alij.

Cur his omnibus cōtradictis: Cum antea quærebatur, An Petrus Romæ mortuus sit? dicebas: *malo assentiri ob plurimorum Patrum consensum, quàm reluctari.* Jam verò, cùm quæritur, An Petrus Romanos ad fidem primus convertit? contrarium dicis: *Malo reluctari in odium Papa, quàm ob plurimorum Patrum consensum assentiri.* Ne tamen temerè videaris reluctari, multa objicis sine ordine, ut lectori fucum facias: quæ breviter perstringam.

6. Primò, objicis illud, Act. 19. 21. *His autem expletis, proposuit Paulus in Spiritu, transire Macedonia & Achaia, ire Hierosolymam, dicens: Quoniam postquam fuero ibi, oportet me & Romam videre.* Ex quo colligis, Paulum fuisse anxium de Romanorum cōversione, & ab eo primùm conversos esse. Respondeo. Non fuit anxius de illorum conversione, quia jam erant conversi ad fidem, ut ex ipso Paulo ostensum est; sed de confirmatione. Sic enim de se scribit Rom. 1. 10. *Obsecrans, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Desidero enim videre vos, ut aliquid impartiar vobis gratia Spiritualis ad confirmandos vos, id est, simul consolari in vobis per eam, qua invicem est, fidem vestram atq; meam.* Hic vide, cur desideret videre Romam. Nempe, ut tam ipse, quàm Romani, percipiant aliquam consolationem ex mutua fidei communicatione, & sic in fide magis confirmentur. Erant ergo jam conversi ad fidem.

7. Sed urges: *Cur Paulus tam sollicitus est*

de videnda Roma, si jam Roma erat Petrus? Jam dixi: Propter consolationem, quam Romani ab ipso, & vicissim ipse à Romanis, ex mutua fide erat percepturus. Nec præsentia Petri obstare potuit. Imò, si Petrus Romæ erat, major fuit occasio, cur sollicitus esset de videnda Roma. Nempe, ut & Petrum videret. Quod debes colligere ex illo, Gal. 1. 18. *Post tres annos veni Hierosulymam, videre Petrum. Cur non veniat Romam, videre Petrum, si Petrus Romæ erat?*

8. Secundò, objicis illud Act. 23. 1. *Sequēti nocte, assistens ei Dominus ait: Constans esto: Sicut enim testificatus es de me in Hierusalem, sic te oportet & Romæ testificari.* Ex quo etiam vis convincere, Paulum propterea ivisse Romam, ut primum Evangelium ibi prædicaret. Respondeo. Non rectè. Nam utrobique est eadem formula loquendi *testificari in Jerusalem, & testificari Romæ.* At ex hac formula, *Paulus testificatus est in Jerusalem de Christo* non sequitur, Paulum fuisse primum, qui in Jerusalem prædicaverit Evangelium; cum constet, Petrum fuisse primum; Ergo similiter, ex ista formula, *Paulus testificatus est Romæ de Christo*, non sequitur, fuisse primum, qui id fecerit. Non nego quidem, utroque loco testificatum esse, & multos ad fidem convertisse; sed nego, primum ante alios id fecisse.

9. Tertiò objicis: Scriptura nihil dicit de Petro, quod spectet ad Romanorum conversionem. At de Paulo legimus, Rom. 1. 14. *Gra-*

*eis ac barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum. Ita (quod in me) promptum est & vobis; qui Romæ estis, Evangelizare. Respondeo. Sicut Scriptura nihil dicit de Petro, quod spectet ad primam Romanorum conversionem; ita etiã nihil de Paulo. Igitur ex hac parte est par ratio. Rursum, sicut ex scriptura constat, Paulũ fuisse Romæ; sic etiam constat, Petrum fuisse Romæ. Nam in 1. Epistola canonica, c. 5. v. 13. sic scribit: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus.* Ubi, nomine Babylonis, intelligit Romanam, ut interpretantur Patres, Eusebius lib. 2. Hist. c. 15. Hieronymus in catal. script. Eccles. in Marco, & alij passim. Et tu ipse fateris, lib. 4. c. 3. n. 26. & alibi. Est igitur & hic par ratio Petri & Pauli. In eo solũ est disparitas, quòd scriptura expressè dicat, Paulum Romæ Evangelizasse; quod de Petro expressè non dicit. Sed quid refert? Ex eo nihil convinci potest contra nos. Non enim sequitur: Scriptura hoc non dicit de Petro: Ergo factum non est. Sicut non sequitur: Scriptura non dicit Petrum & Paulum Romæ martyrium passos esse: Ergo ibi passi non sunt. Nec item: Scriptura non dicit Apostolos symbolum fidei condidisse: Ergo non condiderunt. Notum est illud apud Theologos; *Argumentum ab auctoritate negativa non valet.* Denique, huic disparitati oppono aliam in majoris momenti, quæ est hujusmodi: Antiqui Patres communi consensu tradunt, Petrum Romanos primo ad fidem convertisse; quod de Paulo non tradunt. Hanc digere, si potes.*

10. Quartò objicis: Ipsemet Paulus testatur, Romanos accepisse ab ipso fidem. Et Evangelium Rom. 16. 25. *Ei autem, qui potens est vos confirmare juxta Evangelium meum, & prædicationem Jesu Christi, &c.* Respondeo. Paulus non loquitur de Evangelio suo, quod ipse Romæ viva voce præsens prædicaverat (quia nõdum fuerat Romæ, cum hoc scriberet, ut supra ostendi) sed de Evangelio, quod per Epistolam ipsis tradiderat. Est igitur hic sensus: *Ei autem, qui potest vos in cœpto confirmare, juxta Evangelium meum, quod in hac Epistola ad vos scripsi, sit honor in sæcula sæculorum.* Nam in illa Epistola scripserat, omnes, etiam gentiles & paganos, justificari ex fide Christi: Et quidem gratis, sine ullis ipsorum meritis præcedentibus. Ex qua re poterant confirmari in fide semel suscepta.

11. Sed instas: Paulus loquitur de Evangelio, quod ipse prædicaverat Romanis, non quidem per se, sed per Discipulos suos, antequam ipse personahter veniret Romam. Et hoc probas ex eodem cap. 16. ubi multos nominatim salutatur, ut Priscillam & Aquilam, Andronicum & Juniam. Respondeo. Nec assertio tua vera est, nec probatio valet. Non enim sequitur: Paulus salutatur Priscillam, Aquilam, Andronicum & Juniam, Romæ existens: Ergo per Discipulos suos convertit Romam ad fidem. Prius probanda sunt hæc tria. 1. Illos fuisse Discipulos Pauli. 2. Missos esse à Paulo Romam, ut Romanos converterent. 3. Eos id præ-

præstitisse. Nihil istorum probas. Quid si ego contrarium probem? Quod facile est. Nam de Andronico & Junia sic legimus Roman. 16. 7. *Salutate Andronicum & Juniam cognatos & concaptivos meos: qui sunt Nobiles in Apostolis: Qui & ante me fuerunt in Christo.* Certè si fuerunt Christiani, antequam Paulus fieret Christianus; & quidem præcipui inter Apostolos, id est, inter Doctores Evangelij (ut interpretatur Chrysostomus, Theodoretus, Cornelius a Lapide) non est probabile, fuisse Pauli Discipulos.

12. Similiter de Priscilla & Aquila sic legimus: Roman. 16. 3. *Salutate Priscam & Aquilam, adjuutores meos in Christo Jesu.* Et Actorum 18. 1. *post hæc Paulus egressus Athenis, venit Corinthum: Et inveniens quendam Judæum, nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priscillam uxorem ejus (eo quòd præcepisset Claudius decedere omnes Judæos à Roma) accessit ad eos. Et quia ejusdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur. Erant autem Scenofactoria artis. Et infra verfic. 24. *Judæus autem quidam, Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, devenit Ephesum potens in scripturis, &c.* Hic ergo cepit fiducialiter agere in Synagoga. Quem cum audissent Priscilla & Aquila, assumpserunt eum, & diligentius exposuerunt ei viam Domini. Ex quibus hæc colligo. 1. Quòd Aquila & Priscilla habitaverint Romæ, tempore Claudij Imperatoris. 2. Quod ab eodem Claudio cum aliis Judæis, Romæ expulsi fuerint (Anno Christi*

51. ut refert Paulus Orosius.) 3. Quòd post expulsiõnem, venerint Corinthum, & ibi primùm à Paulo visi & cogniti sint. 4. Quòd postea cum Paulo profecti sint Ephesum, & ibi in Christiana fide perfectè instruxerint quendã Judæum, nomine Apollo. 5. Quòd ob hanc instructionem, vocati sint adjuutores Pauli in Christo Jesu. 6. Quòd post hæc omnia Romã reversi sint, & ibi habitaverint eo tempore, quo Paulus scripsit Epistolam ad Romanos, id est, Anno Christi 58. At, quòd fuerint Discipuli Pauli, ex nullo horum constare potest. Tu hoc fingis sine fundamento.

13. Quintò, objicis illud 2. Tim. 4. 16. *In me a prima defensione nemo mihi adsuit, sed omnes me dereliquerunt: Non illis imputetur. Dominus putem mihi assistit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes. Et liberatus sum de ore leonis.* Ubi, inquis, per leonem intelligit Neronem, à quo tantisper liberatus, Romanæ Ecclesiæ fundandæ egregiam tuavavit operam. Et hæc est, inquis, illa prædicatio, *ut audiant omnes gentes.* Quia cum Roma esset Caput omnium gentium, inde facilè fides in omnes gentes erat penetratúra. Sic tu interpretaris. Respondeo. Vera interpretatio consistit in his punctis. Primò, Paulus bis fuit Romæ in carcere sub Nerone. Priori vice liberatus est: posteriori, martyrio affectus. Igitur hoc loco agit de defensione sua, quam habuit in priori carcere, quando scilicet secundo anno Neronis, Hierosolymæ captus, ad eun-

eundem Romam missus est, ibique per biennium mansit, (Actor 28.30.) Secundò, in illa defensione desertus est à suis, quia non audebant illi assistere, propter crudelitatem Neronis, quam metuebāt. Nihilominus. Deum habuit adiutorem, qui cum corda Regum habeat in sua manu, ita promovit & flexit cor Neronis, ut Paulum è carcere dimiserit. Tertiò, hoc id eo factum est à Deo, ut Paulus, qui jam Romæ biennio in carcere prædicaverat Evangelium, etiam in Hispania & alibi prædicaret. Quod etiam contigit. Nam liberatus ex carcere, statim profectus est in Hispaniam, & vicinas provincias, ibique per aliquot annos fidem Christi prædicavit. Postea Romam rediens, iterum captus est, & martyrio coronatus.

14. Hæc interpretatio desumitur ex communi Patrum sententia, apud Toletum, Perrerium, & Cornelium de Lapide, in c. 15. Epistolæ ad Romanos, v. 24. Discrepat autem à tua interpretatione. Tu dicis, Paulum post liberationem ex carcere, Romanæ Ecclesiæ fundandæ operam navasse: Et prædicationem Evangelij, de qua loquitur Paulus, Romæ contigisse. Nos dicimus Paulum biennio quidem in carcere prædicasse Evangelium (ut expressè habetur Act 28.30.) sed liberatum ex carcere, non mansisse Romæ, sed in Hispaniam ivisse: Ac proinde prædicationem, de qua loquitur Paulus, non Romæ, sed in Hispania factam esse. Et hoc probatur ex ipso Paulo, Roman. 15. 24. *Cum, inquit, in Hispaniam proficisci*
cepe-

les, qui nihil audierant de Christo, juxta illud vaticinium Isaia: *Quibus non est annunciatum de eo, videbunt; & qui non audiverunt, intelligent.* Igitur hæc est propositio Pauli: Ego prædica- vi Evangelium in Arabia, Seleucia, Cypro, Pamphilia, Lycaonia, Phrygia, Galatia, A- chaia, & alijs gentilium provincijs, ubi nihil antea auditum erat de Christo. Quæ verissima est, ut patet Act. 13. & seqq. Tu fingis hanc esse: Paulus nunquam prædicavit Evangelium in aliquo loco, nisi ubi antea prædicatum non est. Quæ est falsa. Nam prædicavit Hieroso- lymis, ubi antea prædicatum erat à Petro. Quod etiam de Roma dicendum est.

16. Septimò objicis (n. 14.) Paulus arguit imperfectionem fidei à Romanis susceptæ, Rom. 1. 11. *Desidero videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratia spiritualis ad confirmandos vos.* Quod non fecisset, si à Petro fuissent edocti. Respondeo. Hoc argumentum sic re- torqueo: Quod non fecisset, si à Discipulis Pauli fuissent edocti, ut tu asseris. Quid re- spondes, Antoni? Deinde falsum est, quod as- sumis. Non arguit, sed laudat illorum fidem. *Primum*, inquit, *gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra an- nunciatur in universo mundo.* Certè, non age- ret Deo gratias propter eorum fidem, si esset imperfecta & reprehensione digna. Nec di- ceret Hieronymus libr. 3. contra Ruffinum, cap. 4. *Ad Romanos Apostolico ore laudatos perfid- dia non habes accessum.* Ubi, & cujus ore lau- dados?

datos? Pauli, cum dixit: *Fides vestra annunciat-
tur in universo mundo.* Nec obstat illud, quod
tu imperitè adducis: *Ut aliquid impertiar vobis
gratia spiritualis ad confirmandos vos.* Nam ibi
nullum est verbum, quod arguat imperfectio-
nem fidei. Imò contrarium colligitur ex ipso
textu, qui sic habet: *Ad confirmandos vos, id est
simul consolari in vobis per eam, qua invicem est,
fidem vestram atque meam.* At quæ esset conso-
latio ex parte Pauli, si videret Romanos ha-
bere fidem imperfectam?

17. Octavo objicis (n. 15.) Paulus in Epi-
stola ad Rom. non salutatur Petrum, cum tamē
multos alios inferioris ordinis salutet: Ergo si-
gnum est, Petrum non tuille tunc Romæ, alio-
qui & illum salutasset. Respondeo. Hoc argu-
mentum sumpisti ex Illyrico Lutherano. Et
duplex in eo vitium est: Unum, quia non se-
quitur: Paulus scribens ad Romanos, non salu-
tat Petrum: Ergo Petrus non erat tunc Romæ.
Sicut non sequitur: Paulus scribens ad Ephe-
sios, non salutatur Joannem: Ergo Joannes non
fuit Ephesi. Item, scribens ad Hebræos, non
salutat Jacobum: Ergo Jacobus non erat Hie-
rosolymis. Quasi necesse sit, omnes notos sa-
lutare, qui alicubi sunt. Alterum, quia multo
minus sequitur: Petrus tunc non erat Romæ:
Ergo antea non prædicaverat ibi Evāgelium.
Potest enim fieri, ut antea fuerit Romæ, &
postea circa illud tempus, quo Paulus scripsit
Epistolam, non fuerit. Habemus exemplum
in ipso Paulo. Fuit Romæ per biennium in vin-
culis.

culis. Deinde profectus est in Hispaniã. Postea iterum redijt Romam. Quare similiter non potuisset Petrus, quando Romæ prædicaverat Evangelium, & Ecclesiam ibi fundaverat, parum secedere, ac deinde ad Ecclesiam, à se fundatam redire? Et ita factũ esse, tradunt magni Auctores. Vide Bellar. lib. 2. de Pontif. c. 7.

18. Nonò objicis (n. 15.) Romani dixerunt Paulo Romam venienti Actor. 28. 21. *Nos neq; literas accepimus de te à Judæa, neq; adveniens aliquis fratrum nunciavit aut locutus est quid de te malum. Rogamus autem à te audire, qua sentis. Nam de secta hac notum est nobis, quia ubiq; ei contradicitur.* Ex quo loco sic ratiocinaris: Si Petrum habuissent præsentem, & ejus prædicationes audivissent, non essent ad eò novi & rudes, neque opus haberent, ut Paulus aliquam eis pleniorẽ novæ illius sectæ notitiã traderet. Respondeo. Hoc argumentum æquè tibi, ac nobis, solvendum est. Nam sicut nos dicimus, Petrum, antequam Paulus Romam veniret, prædicasse Romanis Evangelium: Sic tu dicis, Discipulos Pauli id fecisse, non Petrũ. Si ergo valet hæc consequentia: Romani cupiebant à Paulo audire pleniorẽ notitiã fidei Christianæ: Ergo non habebant Petrum præsentem, nec Petrus ipsis prædicaverat: Valebit etiam hæc: Ergo non habebant Discipulos Pauli præsentẽs, nec Discipuli Pauli ipsis prædicaverant. Aut si hæc non valet, cur ista valeat? Hic responde, quod vis. Nam quicquid dixeris pro te, dixeris etiam pro nobis: Et vicissim,

cissim, quicquid contra nos, etiam contra te.

19. Addo, Romæ tum temporis fuisse non solum gentiles, sed etiam Judæos: Utroque à Petro quidem audivisse Evangelium, sed non omnes fuisse conversos; Multos adhuc mansisse, vel in sua gentilitate, vel in Judaismo: multos dubitasse; multos ex curiositate voluisse audire, quid Paulus de Evangelio sentiret. Sicut etiam cõtingit Christo in Judæa prædicanti. Nam aliqui ex Judæis credebant illi; alij non credebant; alij dubitabant. Idem factum est Iconij, cùm ibi Paulus & Barnabas prædicarent Evangelium. Act. 14. 1. *Factum est autem Iconij, ut simul introirent in Synagogam Judæorum, & loquerentur, ita ut crederet Judæorum & Græcorum copiosa multitudo. Qui verò increduli fuerunt Judæi, suscitaverunt, &c.* Et infra: *Divisa est autem multitudo Civitatis: & quidam quidem erant cum Judæis, quidam verò cum Apostolis.* Similia contigerunt Thessalonicæ, Berrææ, Athenis, Corinthi, Ephesi, & alibi, Act. 17. & seqq. Cur non similiter potuit fieri Romæ? sicut revera factum est.

20. Decimò objicis (n. 16. & seqq.) Petrus non poterat venire Romam ante Paulum. Hoc probas ex Chronologia, quam proponis. Respondeo. Illa Chronologia à te conficta est: Et in multis discrepat à Chronologia aliorum autorum tam veterum, quàm recentiorum. Cur tibi potius credam, quàm illis? Illi dicunt: Petrum venisse Romam circa Annum secundum Claudij Imperatoris, ut Ire-
næus,

neus, Tertullianus, Cyprianus, Arnobius, Lactantius, Optatus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, & alij quam plurimi apud Baronium Tomo 1. Annalium, Anno Christi 44. At constat, Paulum venisse Romam anno tertio Neronis, ut tu ipse fateris. Igitur necesse est, Petrum, ut minimum, tredecim annis prius venisse, quam Paulum. Si tu aliter sentis, per me licet. Nunquam tamen efficies, ut relicto Christiani orbis consensu, tibi silentiar, homini novo & inconstanti, qui non veritatis studio, sed ambitionis æstu ad scribendum, ut sæpè dixi, impulsus es.

21. Undecimò objicis (n. 10.) multi Patres conversionem Romanorum æquè Petro & Paulo tribuunt, ut Irenæus, Cajus, Dionysius Corinthiorum Episcopus, Lucius Papa, Tertullianus, Cyrillus Hierosolymitanus, Chrysoftomus, Gregorius, Bernardus, Innocentius. Respondeo. Duo tibi probanda sunt. Primò, Paulum fuisse primum, qui Romanos ad fidem còvertit. Quod nunquam probabis. Nec ullus illorum Patrum id asserit. Secundò, Paulum vel magis, vel non minus, quam Petrum fundasse Ecclesiam Romanam: Neque hoc asserunt citati Patres. Quid ergo? Aliqui dicunt, Petrum & Paulum id fecisse per prædicationem Evangelij: non tamen addunt, quod tu addis, Paulum vel magis, vel non minus, quam Petrum, id fecisse. Ita Irenæus lib. 3. contra hæreses cap. 1. his verbis: *Matthæus in Hebrais, ipsorum lingua scripturam*

edidit Evangelij, cum Petrus & Paulus Roma Evangelizarent, & fundarent Ecclesiam. Quod non est contra nos. Fatemur utrumq; fuisse Romę, & ibi Evangelium prædicasse; sed prius Petrũ, quàm Paulum, id fecisse. Alij dicunt, Petrum & Paulum reliquisse Romanis Evangelium suo sanguine signatum, ut Tertullianus lib. 4. contra Marcionem c. 5. *Quibus, inquit, (Romanis) Evangelium Petrus, & Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt.* Neq; hoc negamus. Alij deniq;, Petrum prædicasse Romę Evangelium, antequam Paulus eo veniret, ut Chrysostomus Homil. 2. in Epist. ad Roman. post initium, cum ait: *Atqui Petrus prædicaverat Roma. Verum, qua ille gesserat, Paulus pro suis reputat.* Hoc contra te est.

CAPUT SECUNDUM.

An Petrus fuerit Episcopus Romana Ecclesia.

1. **O**stensum est ex communi Patrum sententia, Petrum circa annum secundum Claudij venisse Romam & ibi sua prædicatione multos convertisse ad fidem; atque ita Romanam Ecclesiam fundasse. Nũc quæstio est; *An etiam fuerit Episcopus illius Ecclesie? vel, An sederit in cathedra Romana Ecclesia à se fundata?* Tu nihil peculiariter illi tribuis in hac re, præ Paulo. Nam c. 1 n. 8. afferis hæc tria. Primò, Petrum non aliquo peculiariter

culiari titulo fuisse Episcopum Romanæ Ecclesiæ, sed solum ratione sui Apostolatus. Secundò, eodem sensu Paulum fuisse ibidem Episcopum. Tertiò utrumq; tam diu fuisse ibi Episcopum, quamdiu quisque actu exercuit ibi officium Apostoli, id est, officium prædicandi Evangelium. Nihil igitur in hoc negotio plus habere Petrum, quam Paulum.

2. At Patres longè aliter sentiunt. Eusebius in Chronico, Anno 44. sic scribit: *Petrus natione Galileus, Christianorum Pontifex Primus, cum primum Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur, ubi Evangelium prædicans, viginti quinque annis ejusdem urbis Episcopus perseverat.*

Hieronymus in Catal. script. Eccles. *Petrus Roma viginti quinque annis cathedram sacerdotale tenuit. Et in Epist. ad Damasum: cum successore Piscatoris, & Discipulo crucis loquor: Ego beatitudini tua, i. e. Cathedra Petri, communionem cõsocior.*

Severus Sulpitius lib. 2. Hist. *Namq; eo tempore, divina apud urbem religio invaluerat, Petro ibidem Episcopatum gerente: & Paulo, postquam ab injusto præsidis judicio Casarem appellaverat, Romam deducto.*

Cyprianus lib. 4. Epist. 2. ad Antonianum: *Factus est Cornelius Episcopus, cum Fabiani locus, id est, cum locus Petri, & gradus Cathedra sacerdotalis vacaret.*

Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum: *Negare non potes, scire te in urbe Roma, Petro primo Cathedram Episcopale esse collocatam.*

edidit Evangelij, cum Petrus & Paulus Roma Evangelizarent, & fundarent Ecclesiam. Quod non est contra nos. Fatemur utrumq; fuisse Romę, & ibi Evangelium prædicasse; sed prius Petrũ, quàm Paulum, id fecisse. Alij dicunt, Petrum & Paulum reliquisse Romanis Evangelium suo sanguine signatum, ut Tertullianus lib. 4. contra Marcionem c. 5. *Quibus, inquit, (Romanis) Evangelium Petrus, & Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt.* Neq; hoc negamus. Alij deniq;, Petrum prædicasse Romę Evangelium, antequam Paulus eo veniret, ut Chrysostomus Homil. 2. in Epist. ad Roman. post initium, cum ait: *Atqui Petrus prædicaverat Roma. Verum, qua ille gesserat, Paulus pro suis reputat.* Hoc contra te est.

CAPUT SECUNDUM.

An Petrus fuerit Episcopus Romana Ecclesia.

1. **O**stensum est ex communi Patrum sententia, Petrum circa annum secundum Claudij venisse Romam & ibi sua prædicatione multos convertisse ad fidem; atque ita Romanam Ecclesiam fundasse. Nunc quæstio est; *An etiam fuerit Episcopus illius Ecclesie? vel, An sederit in cathedra Romana Ecclesia à se fundata?* Tu nihil peculiare illi tribuis in hac re, præ Paulo. Nam c. 1 n. 8. *Et tibi hæc tria.* Primum, Petrum non aliquo peculiari

culiari titulo fuisse Episcopum Romanæ Ecclesiæ, sed solum ratione sui Apostolatus. Secundò, eodem sensu Paulum fuisse ibidem Episcopum. Tertiò utrumq; tam diu fuisse ibi Episcopum, quamdiu quisque actu exercuit ibi officium Apostoli, id est, officium prædicandi Evangelium. Nihil igitur in hoc negotio plus habere Petrum, quam Paulum.

2. At Patres longè aliter sentiunt. Eusebius in Chronico, Anno 44. sic scribit: *Petrus natione Galilæus, Christianorum Pontifex Primus, cum primum Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur, ubi Evangelium prædicans, viginti quinque annis ejusdem urbis Episcopus perseverat.*

Hieronymus in Catal. script. Eccles. *Petrus Roma viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuit. Et in Epist. ad Damasum: cum successore Piscatoris, & Discipulo crucis loquor: Ego beatitudini tuæ, i. e. Cathedra Petri, communionem cõsocior.*

Severus Sulpitius lib. 2. Hist. *Namq; eo tempore, divina apud urbem religio invaluerat, Petro ibidem Episcopatum gerente: & Paulo, postquam ab injusto præsidis judicio Casarem appellaverat, Romam deducto.*

Cyprianus lib. 4. Epist. 2. ad Antonianum: *Factus est Cornelius Episcopus, cum Fabiani locus, id est, cum locus Petri, & gradus Cathedra sacerdotalis vacaret.*

Opratus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum: *Negare non potes, scire te in urbe Roma, Petro primo Cathedram Episcopalem esse collocatam,*

in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus. Augustinus lib. 2. contra literas Petriiani c. 51. *Cathedra tibi quid fecit Ecclesie Romane, in qua Petrus sedit, in qua nunc Anastasius sedet?* Et in Psalmo contra partem Donati: *Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede: Ipsa est petra, quam non vincunt superba infectorum portæ.*

Gregorius in Psalm. 5. pœnitentialem: *In tantum autem sua temeritatem extendit vesania, ut Caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vendicet, & in aëminagantium terra jus potestatis usurpet. Quod omnino ille fieri prohibuit, qui hanc beato Petro Apostolo specialiter commisit.*

3. Ex his testimonijs (ut multa alia omit- tam) notanda sunt hæc: 1. Petrus primus Pon- tifex Christianorum. 2. Petrus viginti quinque annis Romanæ urbis Episcopus fuit. 3. Petrus Romæ viginti quinque annis Cathedram sacerdotalem tenuit. 4. Petrus Romæ Episcopatum gessit. 5. Petro cathedra Episcopalis primo Romæ omnium collocata est. 6. Petrus se- dit in cathedra Romanæ Ecclesie 7. Romana Ecclesia est Petri sedes. 8. Romana Ecclesia Petro specialiter commissa est. Nihil horum dicitur de Paulo. Et tu tamen, Marce Antoni, contra communem horum Patrum consen- sum, audes asserere, Paulum æquè fuisse Ro- mæ Episcopum, ac Petrum? Imò prius Romam venisse, quàm Petrum? Prius Ecclesiam ibi fuisse, prius Episcopum Ecclesie fuisse?

4. Multa objicis (n. 11. & 12.) Primò, Linus & Clemens, qui primi successerunt Apostolis

in Ecclesia Romana, fuerunt discipuli Pauli: Ergo signum est, magis paulum, quàm petrū, fuisse Romæ Episcopum. Respondeo. Unde probas fuisse pauli Discipulos? Sed fuerint: An ideo sequitur, paulum magis, quàm petrum, fuisse Romanæ Ecclesiæ Episcopum? miror te sic desipere. Omnes, qui scribunt catalogum Romanorum pontificum seu Episcoporum, incipiunt à petro, & pergunt ad Linum, Clementem, & alios deinceps. Tu fingis novum catalogum, in quo oporteat incipere à paulo, & progredi ad Linum, Clementem, & alios succellores. Parum prudenter.

5. Secundò objicis: Multi pontifices Romani testantur se accepisse auctoritatem à principibus Apostolorum, petro & paulo: Et se multa agere ex eorum auctoritate. Ergo non minus paulus, quàm petrus, fuit Romæ Episcopus. Respondeo. Pontifices dicunt se multa facere ex auctoritate petri & pauli, quia petrus & paulus sua prædicatione & sanguine fundarunt Ecclesiam Romanam. In ea tamen fundanda, petrus paulum antecessit, ut probatum est. Nam Romani primò conversi sunt à petro, ac deinde à paulo in fide confirmati. Et uterque quidem fuit Apostolus Romanorum; Sed petrus peculiari ratione Episcopus, cui alij Episcopi successerunt. Hoc patet ex patribus jam citatis.

6. Tertiò objicis: Pontifices dicuntur Vicarij petri & pauli, ut patet ex quadam Synodo sub Joanne 8. Ubi Episcopi illius Synodi i-

ta loquuntur ad Carolum Imperatorem: *Jam quia divina pietas vos beatorum Principum Apostolorum, Petri & Pauli interventione, per Vicariū ipsorum, Dominum videlicet Joannem, summum Pontificem & universalem Papam, specialemq; Patrem nostrum, &c.* Respondeo. Vel admittis illam Synodum, vel respuis. Si admittis, necesse est te admittere, Pontificem esse universalem Papam. Si respuis, nihil ex ea, tuo judicio, potes convincere.

7. Quartò objicis: Romæ in plumbeo sigillo, Paulus Petro ad dextrā collocatur. Respondeo. Hæc objectio pridē soluta est à Cardinale Bellarmino. Si solutio bona est, cur nō acquiescis? Si mala, cur non refellis? Summa solutionis est hæc: Aliquando Petrus ponitur ad dextram, aliquando Paulus: Quia sicut Petrus excellit potestate in Ecclesiā; ita Paulus sapientia & labore. Plus enim laboravit, quàm reliqui: plures gentiles ad fidem convertit: plures provincias peragravit. Sicut ergo Ecclesia plus honorat Petrum, ratione potestatis, ita plus Paulum ratione sapientiæ & laboris. Nec id novum. Plus etiā honorat D. Thomam, Franciscum, Dominicum, Benedictum, quàm multos Pontifices & Episcopos; quia licet hi potestate excelluerint, illi tamen plus boni Ecclesiæ præstiterunt.

8. Quintò objicis: Nunquam fit officium de Petro, quin fiat commemoratio de Paulo; & vice versa: Ergo pares sunt. Respondeo. Mirus homo es. In præcedente objectione contende-

tendebas, Paulum præferendum esse Petro: Nunc vis pares esse. Audi. Pares sunt in Apostolatu: impares in alijs. Nam Petrus, ut dixi, potestate excellit: Paulus labore & sapientia, Ecclesia utrumque magni facit; & utrique tribuit, quod ipsis debetur.

CAPUT TERTIUM.

An Pontifex sit Successor Petri?

1. **D**E hac re disputas lib. 4. c. 6. Et asseris Pontificem non esse propriè peculiarem Petri successorem. At Patres contrarium asserunt, quibus potius, quàm tibi credendum est. Sic enim scribit Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum: *Petro successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, &c.* Augustinus Epist. 165. ad Gencrosium: *Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius, & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesia figuram gerenti, Dominus ait: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evaristus, &c.* Et Philippus Presbyter in Concilio Ephesino, Tom. 2. c. 16. *Nulli dubium, imò seculis omnibus notum est, Sanctum Petrum Apostolorum Principem & Caput, Ecclesie Catholice fundamentum, per successores suos hucusque semper vivere, causasque decernere, semperque victurum esse. Hujus itaque ordinarius successor Papa Cælestinus nos ad hanc Synodum misit.* Ommitto reliquos omnes, qui vel Chronica, vel

eo impletur promissio Christi: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.*

5. Tertiò objicis: Omnes Episcopi sunt omnium Apostolorum, etiam Petri in solidum successores, ut fatetur Leo serm. 3. de Assumptione sua ad Pontificat. ubi ait: *Ecclesiasticam potestatem, quam Petrus habuit, ad omnes Ecclesie Principes, id est, Episcopos commesse.* Respondeo. Falsum est, quod assumis, omnes Episcopos in solidum esse Successores Petri. Solus Pontifex in solidum illi succedit: reliqui in partem. Nec Leo tibi, sed nobis patrocinator. Nam loco à te citato, sic habet: *Unus de toto mundo Petrus eligitur, qui & univrsarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesie Patribus proponatur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.* Hæc verba omisit, quia contra te sunt. Non longè post, sic pergit Leo: *Propter quod dicit beatissimo Petro: Tibi dabo claves. Transiit quidem etiam in alios Apostolos vis potestatis illius, & ad omnes Ecclesie Principes decreti hujus constitutio commea vit, sed non frustra uni commēdatur, quod omnibus intimetur.* Hæc verba citasti, sed mala fide. Nam Leo non dicit, quod tu dicis, potestatem Ecclesiasticam à Petro in omnes Episcopos *in solidum* commesse: Vel omnes Episcopos *in solidum* esse Successores Petri. Alioqui sibi ipsi contradiceret. Nam in priori sententiâ, quam citavi, contrarium assererat. *Unus*, inquit, *Petrus* *eligitur, qui omnibus Apostolis, cunctisque*

Etisue Ecclesia Patribus præponatur. Hæc præpositura seu eminentia, non potuit in solidum commeari in omnes Episcopos; quia impossibile est, ut omnes & singuli Episcopi præponantur omnibus alijs Episcopis.

6. Quartò objicis: Nulla Ecclesia, tempore Apostolorum, habuit proprium & specialem Episcopum; sed præcipua quæquæ Ecclesiæ à pluribus simul Episcopis in solidū regerantur: Ergo Romanus Episcopus nō potest dicere, se alicujus certi ac specialis Apostoli successorem esse. Respondeo. Negatur Antecedens. Nam in Ecclesia Hierosolymitana, proprius & specialis Episcopus fuit Jacobus, ut omnes fatentur. In Ephesina, Timotheus, (teste Eusebio lib. 3. c. 4.) In Cretensi, Titus, (eodem teste, ibidem.) Et quid obsecro dicturus es de septem Ecclesijs Asiæ, de quibus Johannes in Apoc. Certe singulæ habuerunt proprios ac peculiare Episcopos, quorum virtutes & vitia ibi describuntur, c. 2 & 3.

7. Quintò objicis: Petrus eo modo fuit Episcopus Romanus, quo Antiochenus: Ergò non est ratio, cur magis Romani Episcopi, quàm Antiocheni, dicantur esse Petri Successores. Respondeo. Verum est. Petrum fuisse & Antiochenum & Romanum Episcopum: Et utrobique habuisse suos successores; sed diverso modo. Nam Antiochiæ habuit Successores in Ecclesia tantum particulari: Romæ, in Ecclesia universalis. Ratio est, quia ipse fuit à Christo ordinatus Pastor universalis Ecclesiæ, per illud,

illud, *Pasce oves meas*, ut supra dictum est. Hęc curam pastoralem universalis Ecclesię, non amisit per mutationem loci, sed per mortem. At Romę mortuus est, non Antiochię: Ergo Romę illā amisit, ac p̄inde Romę habuit Successorē in pastorali cura universalis Ecclesię.

8. Sexto objicis: Si Romanus Pontifex peculiaris Petri Successor est, sequitur Petrum fuisse specialem Episcopum Romanę Ecclesię, & consequenter non fuisse Episcopum universalem. Respondeo. Posterior consequentia neganda est. Nam Petrus non solum fuit Episcopus Romanę Ecclesię particularis, sed etiam Romanę Ecclesię universalis. Scis quid velim. Ecclesia Romana dupliciter accipitur. Primo, pro illa sola Ecclesia particulari, quę olim Romę fuit, & nunc est. Secundo, pro collectione omnium fidelium, qui toto orbe dispersi, adhęrebant olim Romano Pontifici, & nunc etiam adhęrent. Et hoc posteriori sensu habet varia nomina. 1. Dicitur Catholica seu universalis, quia toto orbe diffusa. 2. Pontificia, quia Pontifici subjecta. 3. Romana, à nobiliori sui parte. Petrus ergo fuit Episcopus Ecclesię Romanę utroque modo acceptę.

9. Septimo objicis: Paulus non minus fundavit Ecclesiam Romanam, nec minus fuit Episcopus Ecclesię Romanę, quàm Petrus: Ergo non est ratio, cur Pontifex potius dicatur Successor Petri, quàm Pauli. Respondeo. Antecedens falsum est, ut cap. 1. & 2. demonstravi. Nam Petrus fuit primus, qui Romanos ad

fidem convertit, & Romæ sedem ac cathedrâ obtinuit, ut constat ex antiqua Patrum traditione, quam negare non potes.

10. Octavo objicis: Adhuc disputatur, an Pontifex, ut Pontifex, debeat eligi à clero tantùm Romano, an verò ab universalis Ecclesiæ, vel generali concilio, Ecclesiam universalem repræsente. Si debet eligi à Clero tantùm Romano, jam non eligitur, ut Caput universalis Ecclesiæ. Si a. debet eligi ab universalis Ecclesiæ, jam nõ eligitur, ut Episcopus Romanus, & Successor Petri in Romana Ecclesiæ. Nam universalis Ecclesiæ potest eligere, quemcumque vult, non alligando illum ad hanc vel illâ Ecclesiam particularem. Respondeo. Pontifex eligitur à Cardinalibus, Cardinales autem possunt dupliciter spectari. Primò, quatenus sunt clerici Ecclesiæ Romanæ particularis. Secundò, quatenus sunt Procuratores, & ministri totius Ecclesiæ. Et hoc modo eligunt Pontificem. An autem possint eligere Pontificem, qui non simul esset Episcopus Romanus, sed vel Parisiensis, vel Viennensis, vel nullius loci Episcopus particularis, alia quæstio est.

CAPUT QUARTUM.

An Pontifex sit Caput seu Pastor universalis Ecclesiæ?

1. **T**U id negas, lib. 4. c. 7. & seqq. Ne tamen planè videaris omnem illi auctoritatem dero-

derogare, afferis hæc duo: Primò, Pontificem Romanum non habere ullum privilegium jure divino, supra alios Episcopos. Secundò, habuisse tamen aliqua privilegia jure Ecclesiastico, quæ nunc in abusum abierunt. Nimirum hæc quinque. 1. curam quandam & superintendentem generalem super universam Ecclesiam, quæ speciali quadam ratione, præ alijs Episcopis, illi concessa fuerit. 2. Privilegiũ appellationis in judicijs Ecclesiasticis. Nam omnes Episcopi totius orbis, qui sentiebant se gravari ab Episcopis aut Synodis provincialibus, poterant confugere ad Romanum Pontificem, & ibi suam causam defendere, & innocentiam demonstrare. 3. Privilegium communionis in fide. Nam quando grassabatur aliqua hæresis, & occupabat multas Ecclesias, ut hæresis Arriana; tunc Pontifex erat quasi Dux & Arbitrator Catholicæ communionis: Et cui ipse dabat vel adimebat suam communionem, reliqui etiam dabant vel adimebant. 4. Privilegium definiendi ac decernendi. Nihil enim grave in Ecclesia universali, nisi consulto prius & consentiente Romano Pontifice, poterat tractari, decerni, aut definiri. Non ut definitio robur haberet à Pontifice, sed ut majus robur haberet, quàm alioqui habitura esset. 5. Privilegium per fugij. Nam afflicti Episcopi, & persecutionem ab hæreticis vel tyrannis patientes, confugiebant ad Pontificem, & ab eo juvabantur. Hæc quinque privilegia concedis,

& explicas cap. 9. per totum, Nec ullum aliud agnoscis.

2. Ego contrà statuo, & hæc, & plura alia Privilegia Pontifici concessa esse, non tantum jure Ecclesiastico, sed etiam divino; & ex peculiari Christi institutione. Et quidem, omisso quinto privilegio, quod tu proponis, reliqua proponam hoc ordine. 1. Tota Ecclesia Pontifici gubernanda concessa est. Ex hoc ferè pendent aliæ, quæ sequuntur. 2. Omnes Episcopi, in judicijs Ecclesiasticis possunt appellare ad Pontificem. 3. Omnes Christiani, in controversijs fidei, debent adhærere Pontifici & Ecclesiæ Romanæ. 4. Nullum decretum potest statui pro tota Ecclesia, nisi consulto & consentiente Pontifice. 5. Pontifex potest leges Ecclesiasticas præscribere, quæ obligent universam Ecclesiam. 6. Potest Episcopos, Reges & Principes, propter grave delictum & contumaciam, excommunicare, aut alia pœna Ecclesiastica punire. De his, ut alia omittam, sigillatim agendum est.

PRIMUM PRIVILEGIUM.

*Tota Ecclesia Pontifici gubernanda
commissa est.*

3. **H**OC probo tribus modis. 1. Ex jure institutionis. 2. Ex jure successionis. 3. Ex Concilijs & Patribus. Primò igitur, ex jure institutionis sic: Forma gubernandi Ecclesiam debet

debet nunc esse talis, qualis ab initio fuit, ex Christi institutione: At ab initio, ex Christi institutione, gubernabatur Ecclesia ab uno visibili Capite, nempe ab ipso Christo: Ergo etiam nunc debet gubernari ab uno visibili Capite, quod non est aliud, quam Pontifex. Hoc argumentum fuisse tractatum est, lib. 2. cap. 3. 4. & 5. Hic obiter ex tua concessione confirmari potest.

4. Ac primo, quod talis nunc debeat esse forma gubernandi Ecclesiam, qualis ab initio fuit ex Christi institutione, concedis lib. 1. c. 1. n. 21. his verbis: *Nam sicut Ecclesia eadem prorsus est, non alia similis: ita gubernatio eadem perseverat, non alia similis.* Item, quod Ecclesia ab initio gubernata fuerit ab uno visibili Capite, nempe ab ipso Christo, concedis ibidem n. 24. his verbis: *Ego sane in Christi visibili regimine ordinario haec tantum observo: Sacramenta visibilia instituire; Ministros vocare & mittere; Evangelizare; Ministros suos errantes corripere & increpare; legem explicare, eamque à corruptelis vindicare. Alterius generis officia à Capite Christo, ut visibilia erant, prodeuntia, ego certe non reperio.* Igitur ex utraque tua concessione, & major & minor propositio syllogismi nostri vera est. Vera igitur conclusio.

5. Secundò, ex jure successionis sic: Pontifex succedit Petro cum pari potestate: At Petro totius Ecclesiae gubernatio fuit commissa: Ergo etiam Pontifici committitur, Ministri. lib. 2. de Primatu Petri probata est. Maxime probo autoritate Patrum, quos praecedenti

hae semper haberet unum visibilem Pastorem, cui diceret, quod Petro dixit, *Pasce oves meas*. At unde constat, Pontificem debere esse hunc successorem? Et hoc dicam. Constat ex traditione. Scis, Antoni, quae sunt juris aut institutionis divinae, dupliciter nobis innotescere: Vex scriptura, vex traditione. Sicut ergo ex scriptura constat, Christum fuisse visibile Caput Ecclesiae; & Petrum constitutum Christi Vicarium, per illud, *Pasce*: ita constat ex traditione, Pontificem esse Petri successorem. Hanc traditionem accepimus ab antiquis Concilijs & Patribus, de quibus jam dicendum est.

8. Tertiò, accedit consensus Patrum & Conciliorum. Ex quibus dupliciter probò Primatum Pontificis; respectu totius Ecclesiae: Ex titulis, quos illi tribuunt. 2. Ex aliorum sententijs. Recensebo tres titulos, totidem sententias, ne prolixus sim. Plures adderi poterunt apud Bellarminum, Cocciarum, & alios. Igitur.

Primus titulus est: *Caput universalis Ecclesiae*.

Qui titulus habetur in Epistola Paschali Episcopi, & aliorum de damnatione Dionysii, tom. 2. concil. in fine concilij Chalcedensis, ubi leguntur haec verba: *Unde sanctissimus & beatissimus Papa, Caput universalis Ecclesiae Leo, per nos. ut legatos suos, sancta Synodus consentiente, Petri Apostoli praeditus dignitate, & Ecclesiae fundamentum & petra fidei, & caele-*

stis regni janitor nūcupatur, Episcopali eum dignitate nudavit. Ubi tria dicuntur de Pontifice Leone. 1. Quòd sit Caput univèrsalis Ecclesiæ. 2. Quòd sit præditus dignitate Petri Apostoli. Vel, ut nos loquimur, quòd sit successor Petri cum pari potestate. 3. Quòd Dioscorum Episcopum Alexandrinum privaverit dignitate Episcopali. Ex primo & tertio colligimus, amplitudinem potestatis ipsius. Ex secundo, quòd illam potestatem habeat jure divino, sicut Petrus habuit.

9. Simili titulo usi sunt Patres Concilij Chalcedonensis in Epist. ad Leonem, quæ extat in eodem concilio in fine, sub hoc titulo: *Relatio Sanctæ Synodi Chalcedonensis ad beatum Papam Leonem de omnibus gestis generaliter.* Ubi inter cætera, sic scribunt: *Si enim, ubi duo aut tres sunt congregati in nomine ejus, ibi se in medio eorū fore perhibuit: Quantam circa Sacerdotes peculiaritatem potuit demonstrare, qui & patria & laboris sue confessionis notitiam prætulcrunt? Quibus tu quidem, sicut membris Caput præeras.* Ecce, fatentur Episcopi in concilio cōgregati, Leonem Pontificem ipsis præfuisse, sicut caput præest membris. Erat autem concilium generale, quod repræsentabat totam Ecclesiam. Igitur agnoscunt Leonem fuisse Caput totius Ecclesiæ.

10. Secundus titulus est: *Papa univèrsalis Ecclesiæ.* Quo utuntur Athanasius & Episcopi Ægypti in Epistol. ad Marcum Papam: (si modo Athanasio ascribenda sit illa epistola)

Domine, inquit, sancto, & Apostolici culminis venerando Marco, sancta Romana & Apostolica Sedis, atq. universalis Ecclesie Papa, Athanasius & universi Egyptiorum Episcopi salutem. Cui simili est hic titulus: Pastor & custos ovilis Christi. Quo utuntur Ambrosius, Basilianus, & cæteri Episcopi in Epistola ad Siricium Papam. Quæ est Epist. 81. inter Epistolas Ambrosij. Item hic: Custos vineæ Salvatoris. Quo utitur concilium Chalcedonense in citata relatione ad Leonem Papam, cum ait: Et post hæc omnia, insuper & contra ipsum, cui vineæ custodia à Salvatore commissa est, extendit insaniam, id est, contra tuam quoq. Apostolicam sanctitatem. Loquitur de Dioscuro, qui primò quidem cõtra Flavianum & Eusebium Episcopos; deinde contra Leonem Pontificem se opposuit. Est igitur hic sensus: Postquam opposuit se Episcopis, audet etiã se opponere Pontifici, cui totius Ecclesie custodia commissa est. Nam per vineam Salvatoris intelligendam esse Christi Ecclesiam, constat assim ex Evangelio.

ii. Tertius titulus est: *Summus Pontifex: summus Papa: summus Sacerdos: Princeps Sacerdotum: Summus omnium presulum Pontifex, Quæ tribuunt Bernardus in suis Epistolis ad Romanos Pontifices, Hieronymus in præfat. Evangeliorum ad Damasum, Sexta Synodus Act. in Serm. acclamatorio, Valentinus in Epist. Theodosium, quæ habetur tom. 1. concil. Stephanus Archiepiscopus Carthagenensis Epist. ad Damasum Papam, quam scripsit*

nomine trium conciliorum Africæ, in qua sic legimus: *Beatissimo Domino & Apostolico culmine sublimato Damaso Papa, & summo omnium præsulum Pontifici.*

12. Addo trium celeberrimorum Patrum sententias, Ambrosij, Hieronymi, Augustini. Ambrosius Epist. 81. ad Siricium Papam: *Recognovimus literis sanctitatis tuæ, boni pastoris excubias, qui fideliter tibi commissam januam servas, & pia sollicitudine Christi ovile custodias, dignus quem oves Domini audiant, & sequantur. Et ideo, quia nosti oviculas Christi, lupos facile apprehendes & occures quasi providus pastor, ne isti morsibus perfidia sua, feralique ululatu Dominicum ovile dispergant.* Hic non aliter loquitur de Pontifice, quàm de Petro. Nam vocat illum bonum pastorem: non tantum respectu ovium, quæ tunc erant in particulari Ecclesia Romana, sed quæ erant in tota Christi Ecclesia. Hoc enim significat illa particula, 1. Christi ovile, 2. Oves Domini, 3. Oviculæ Christi, 4. Dominicum ovile. Unde constat, Pontificem ex sententia Ambrosij, eodem jure esse pastorem ovilis Christi, quo Petrus fuit; quia omnia, quæ tribui solent Petro, tribuit etiam Pontifici, tanquam legitimo Petri successori. At Petrus, jure divino fuit pastor ovilis Christi, ut lib. 2. ostensum est; Ergo eodem jure Pontifex est pastor ovilis Christi.

13. Eodem sensu scribit Hieronymus Epist. 57. ad Damasum Papam: *Quamquam tui metterreat magnitudo, invitat tamen humanitas.* A

Sacer-

erode viſtimam ſalutis, à paſtore præſidium o-
 flagito. Et infra: *Beatitudini tuæ, id eſt, cathe-
 e Petri communionem conſocior.* Ubi tria aperte
 inuat 1. Pontificem eſſe Succeſſorem Petri,
 ſedere in cathedra Petri. 2. Pontificem eſſe
 torem, ſicut Petrus fuit. 3. Se eſſe ovem il-
 ſ paſtoris. At nõ erat ovis pertiñens ad par-
 ilare ovile, quod Romæ erat; ſed pertiñens
 univerſale ovile Chriſti, quod toto orbe e-
 diſperſum. Ergo Pontifex, ex ſententia
 eronymi, eſt paſtor omnium Chriſti oviũ,
 ure, quo Petrus fuit, quia ſedet in cathe-
 Petri.

4. Auguſtinus multa ſcribit in eandem
 tentiam. Et quidem in lib. cont. Epiſt. Ma-
 thæi, quam fundamentalem vocant, c. 4. ſic
 et: *Multa ſunt alia, quæ in Catholica Eccleſia
 nio me juſtiſſimè teneant. Tenet conſenſio popu-
 m atque gentium: tenet autoritas miraculis in-
 ata, ſpe nutrita, charitate auçta, vetuſtate fir-
 a: tenet ab ipſa Sede Pètri Apoſtoli, cui paſcen-
 oves ſuas poſt Reſurreçtionem ſuam Dominus
 mendavit, uſq; ad præſentem Episcopatum ſuc-
 o Sacerdotum: tenet poſtremò ipſum Catholica
 en, quod non ſine cauſa, inter tam multas here-
 ſta Eccleſia ſola obtinuit.* Hic non loquitur
 guſtinus de aliqua Eccleſia particulari,
 ſit Romæ tantum aut Carthagine, ſed de
 ſia Catholica, quæ tota orbe diſperſa eſt:
 que ponit quatuor motiva, totam Ec-
 am concernentia, quæ meritò ſuadent
 uni Chriſtiano, ut maneat in Eccleſia Ca-

tholica, & non deficiat ad Ecclesiam Donatitarum, aut Manichæorum. Sunt autem hæc motiva: 1. Consensus omnium populorum, qui in Ecclesia Christi sunt. 2. Miracula, quæ in Ecclesia Christi fiunt. 3. Constans ac perpetua successio pastorum Ecclesiæ Christi. 4. Ipsum nomen Catholicæ, id est, universalis. Circa successionem duo notanda sunt. Unum est, quod Petro commissa sit pastura totius Ecclesiæ. Alterum, quod Pontifex succedat Petro in pastura totius Ecclesiæ. Hoc est, quod hinc quærimus.

15. Idem Augustinus Epist. 162. ad Glorium, Eleusium, Felicem, & Grammaticum, non longe post initium, loquens de Carthagine, sic scribit: *Erat etiam transmarinis vicina regionibus, & fama celeberrima nobilis. Unde non mediocris utique autoritatu habebat Episcopum, qui posset non curare conspirantem multitudinem populorum, cum se videret & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolica cathedræ viguit principatus, per communicatorias literas esse conjunctum.* Hinc per primatum Apostolicæ cathedræ intelligit primatum totius Ecclesiæ, quem primo quidem habuit Petrus; deinde Petri Successores, id est, Pontifices. Nam si ille Principatus non transisset à Petro in Successores illius, falsum esset, quod asserit Augustinus, principatum illum semper viguisse in Ecclesia Romana. Non enim potuit semper vigere, si in solo Petro, & non etiam in Successoribus Petri vigisset.

6. Et lib. 1. contra duas Epistolas Pelagiorum, ad Bonifacium Papam. cap. 1. *Ne enim dedignaris, qui non alia sapias, quam visus praesideas, esse amicus humilium.* Et infra: *z vero non desinant haeretici fremere ad Dominus gregis caulas, atque ad diripiendas tanto praedemptas oves, aditus undecunque rimari, munusque sit nobis omnibus, qui fungimur Episcopali officio, quamvis ipse in eo praemineas celsa fastigio, specula pastoralis; facio quod possum mei particula muneris.* Hic duo aperte dicit Pontifice 1. Illum altius praesidere, quam Episcopos. 2. Illum celsiori fastigio praemineat Episcopatu. 3. Insinuat, hoc esse discrimen inter Pontificem & Episcopos, quod quod Episcopus habeat tantum particulam speculae pastoralis: Pontifici totius Ecclesiae incumbat. *Specula, inquit, Pastoralis est communi omnibus Episcopis; sed tu inter Episcopos celsa fastigio praemines; ego pro mei muneris particula facio, quod possum.*

7. Dices fortè, Pontificem jure tantum Ecclesiastico praeminere, non divino. Sed jam refutatum est sapius. Nam Pontifex jure praeminet, quo Petrus, cū sit Successor Petri: At Petrus praeminet jure divino: Pontifex & Pontifex. Vide titulos & testimonia huiusmodi citata. Ubi tamen notandū est, praeminentiam illam, qua pollet Pontifex praepiscopis, & divino & Ecclesiastico jure cessantem ac stabilitam esse. Divino quidem, Christus non soli Petro, sed etiam Petri

Successoribus illam concessit. Et hoc sensu intelligenda sunt testimonia conciliorum & Patrum, quæ jam citavimus. Ecclesiastico verò, quia ecclesia sæpe declaravit. Pontificem habere illam præeminētiam, præ alijs Episcopis. Et sic intelligendus est Valentinianus in Epist. ad Theodotium (quæ habetur Tom. 1. conciliorum, inmediate ante concilium Chalcedonense) cum ait: *Beatissimus Romanae urbis Episcopus, cui principatum sacerdoty super omnes antiquitas contulit.* Non vult dicere, quòd antiquitas contulerit illi principatum, quem à Christo non habet; sed quòd agnovit illius principatum, & declaraverit pro tali habendum & agnoscendum. Neq; hoc novum est. Nam sæpe fit, ut eadē res, & divini & humani sit juris. Quo pacto libri Macchabæorum, & divina & Ecclesiastica auctoritate sunt canonici. Furtum, & divina & humana lege prohibitum est. Obedientia filiorum erga parentes, & divino & humano jure præcipitur. Ad credendam Christi Divinitatem, & divino & humano jure obligamur. Hæc nota sunt.

SECUNDUM PRIVILEGIUM.

Appellatio ad Pontificem.

18. SECUNDUM privilegium est, quòd omnes Episcopi totius orbis, qui in judicijs Ecclesiasticis sentiunt se gravari ab Episcopis aut Synodis provincialibus, possint confugere ad Romanum Pontificem, tanquam ad judicem
supe-

eriores, cui reliqui etiam Episcopi subesse debeant; & à cujus sententia non liceat prius provocare. Hoc patet ex Concilio Sardinensi, cap. 4. juxta secundam editionem: *Episcopus dixit: Quòd si aliquis Episcopus iustus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, ut iterum iudicium renovetur, si sibi placet, sancti Petri Apostoli memoriam habemus, ut scribatur vel ab his, qui examinaverint, vel etiam ab aliis Episcopis, qui in propinquo erant, Romano Episcopo. Et si iudicaverit renovandum esse iudicium, renovetur, & det iudicium. Si autem probaverit talem causam, ut ea non mutentur, quæ acta sunt: quæ decreverit Romano Episcopus, confirmata erunt. Si ergo omnibus hæc statuantur. Synodus respondit: PLACEAT.* cap. 5. eiusdem secundæ editionis: *Cum aliquis Episcopus depositus fuerit eorum Episcoporum iudicio, qui in vicinis commorantur locis, & promoverint agendum sibi negotium in urbe Roma; non erit Episcopus in eadem cathedra (post appellationem eius, qui videtur esse depositus) omnino non orietur, nisi causa fuerit in iudicio Episcopi Romani determinata.*

19. Hi duo canones magnam habent auctoritatem in Ecclesia, quia concilium Sardinense, in quo conditi sunt, semper ab Ecclesia acceptum & receptum. De quo Sulpitius lib. 2. Histor. lib. 2. cap. 16. appellat concilium generale. Interfuerunt enim legati Julij Imperatoris Pontificis, & præterea ex toto terra-

rum orbe plusquam trecenti Episcopi, nominatim ex Italia, Gallia, Hispania, Britannia, Africa, Ægypto, Syria, Thracia, Pannonia, & alijs provincijs, ut refert Athanasius in Apologia secunda, circa initium.

20. De ijsdem canonibus sic scribit Gelasius Papa in Epist. ad Faustum: *Ipsi sunt canones, qui appellationem totius Ecclesie, ad hujus sedis examen voluerunt deferri. Ab ipsa vero, nusquam prorsus appellari debere sanxerunt.* Et in Epistola ad Episcopos Dardaniæ: *Ad illam de qualibet mundi parte canones appellari valuerunt: Ab illa autem nemo est appellare permissus.* Habentur hæc Epistolæ in tom. 2. concil. inter Decreta Gelasij Papæ primi.

21. Tu quidē, Antoni, non negas hoc privilegium de jure appellationis; sed dicis Ecclesiastico tantum jure, & non divino concessum esse. Erras. Nam antequam Ecclesiastico jure statutum esset in supradicto Concilio Sardicensi, Episcopos posse appellare ad Pontificem; jam usu recepta erat hujusmodi appellatio, ut varijs Exemplis demonstrat Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Pontif. c. 21. circa finem. Unde etiam Leo Papa Epist. 87. ad Episcopos Provinciæ Viennensis in Gallia, fatetur antiquam esse consuetudinem appellandi ad Pontificem. Sic n. scribit: *Vestra fraternitas recognoscat, Apostolicam sedem, pro sui reverentia, à vestra etiam provincia Sacerdotibus, innumeris relationibus esse consultā. & pro diversarum (quemadmodum et veteris consuetudo poscebat) appellatione causarum,*

n, aut retractata, aut confirmata fuisse judicia.
 2. Porro hæc consuetudo, quæ postea per
 aones concilij Sardicenis fuit confirmata,
 aliunde, quàm ex Apostolica traditione
 auctoritate orta est, ut colligitur ex Theo-
 ceto in Epist. ad Renatum Presbyterum, u-
 c ait: *Nudarunt me Sacerdotio, eiciuntq; ex
 titatibus, nec senectutem reveriti, neq; canitiem
 religione & pietate nutritam. Quam ob rem de-
 cor te, ut sanctissimo Archiepiscopo (Leoni Pa-
 suadeas, ut Apostolica auctoritate utatur, jube-
 ad vestrum concilium adire. Tenet enim sancta
 sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Ec-
 arum. Quare, quæ ab isto vestro tribunali pro-
 centur, qualiacunq; erunt, judicij vestri integri-
 confisi amplectemur.* Ubi clarè significat,
 tificem, non solo jure Ecclesiastico, sed
 oritate Apostolicà, supremum esse judicè
 ndicij Ecclesiasticis: ac proinde ad illum
 ellari posse. Et rationem addit, quia Pon-
 x Romanus gubernat omnes Ecclesias to-
 mundi: Ergo ab omnibus Ecclesijs totius
 ndi potest ad ipsum fieri appellatio. Eo-
 n sensu scribit in Epist. ad Leonem Papam:
 , inquit, *suffragium Sedis Apostolica expecto,
 pplex oro atque obsecro Sanctitatem Vestram,
 me, tribunal vestrum justum ac rectum appel-
 em defendat ac protegat, &c. Vestram senten-
 m expecto. Quòd si sententia eorum, qui me
 condemnaverunt, acquiescere juss-
 ritis, acquiescam.*

* *

TERTIUM PRIVILEGIUM.

*Qui in fide non vult errare, debet ad-
hærere Ecclesie & Pontifici
Romano.*

23. **T**ertium privilegium est, quod omnes Christiani, quando oriuntur dissensiones in fide, debeant adhærere illi parti, quam tenet Romanus Pontifex, & Sedes Apostolica; si non velint errare. Hoc tradunt antiqui Patres Irenæus lib. 3. contra hæreses c. 3. rationem reddens, cur potius describat successiōnem Episcoporum Ecclesie Romanæ, quam aliarum Ecclesiarum particularium, sic scribit: *Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentio- rem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, omnes qui sunt undique fideles: in qua semper ab his, qui sunt undique conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.*

24. Et Divus Hieronymus Epist. 8. ad Demetriadem, c. 9. *Et quia vereor, imò rumore cognovi, in quibusdam adhuc vivere & pullulare venenata blâdaria; illud te pio charitatis affectu pramonendam puto, ut Sancti Innocentij, qui Apostolica cathedræ Successor est, teneas fidem: nec peregrinam, quantum vis tibi prudens callidag, videaris, doctrinam recipias.* Ubi etiam insinuat rationem, cur Pontifici in fide adhærendum sit; quia nimirum Pontifex Successor Petri Apostoli. At Petro & Successoribus illius dictum est: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua: Et in aliquando conversus, confirma fratres tuos.*

25. Et Basilius Magnus in Epistola data
 abino Diacono ad Pontificem Romanum:
 vera dignum est illa excellentissima voce, qua te
 atum predicavit, quod pietati tuæ donatū à Do-
 no est, scilicet, ut quod adulterinum est, à legiti-
 o ac puro discernas; ac fidem Patrum sine subtra-
 one ulla prædices. Alludit ad illud, quod Petro
 ctum est: *Beatus es Simon Barjona, quia caro &*
nguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in
lis est. Quod etiam Pontifici, Petri Succes-
 ri, dictum esse interpretatur. Et rectè. Nam
 ut ad illam fidei quæstionem: *Vos autem quæ*
esse dicitis? Petrus ex peculiari Dei revela-
 ãe respondit: *Tu es Christus Filius Dei vivi:* i-
 ad similes fidei quæstiones, Successor Pe-
 ex peculiari Dei assistentia, debet respon-
 re.

26. Et Cyrillus Alexandrinus in Epist. ad
 lestinum Papam: *Quoniam vero Deus hisce*
ebus prudentiam à nobis exigit, longa que Eccle-
um consuetudo suadet, ut istiusmodi sanctita-
ua communicentur, non possum equidem id,
d apertum est, ad pietatem tuam non perscribere.
 Et paulo post: *Quamvis hæc ita se habeant,*
prius tamen Nestorij Communionem confiden-
leserere ausi fuimus, quàm hæc ipsa pietati tuæ
caremus. Digneris proinde, quid hic sentias, de-
are: quo liquido nobis constet, an communicare
Nestorio nos oporteat, an verò libere ei denun-
re, neminem cum eo communicare, qui ejusmodi
neam doctrinam fovet ac prædicat. Porro tuæ
gritatus mens, ac super hæc re sententia, non
 modo

modo pijsſimis Deoque devotiſſimis Mæcedonia Epiſcopis, ſed totius quoque Orientalis Antiſtitibus perſpicuè per literas exponi debet. Hiſc apparet, totam Eccleſiam Orientalem, tanti teſiſſe Romanum Pontificem, ut in rebus fidei, nihil, niſi ex ipſius deciſione, ſtatuendum eſſe exiſtimarent.

27. Et Maximinianus Conſtantinopolitanus Epiſcopus in Epiſt. ad Orientales: *Omnes fines terra, qua Dominum ſincerè receperunt, & ubiq; terrarum Catholici veram fidem conſistentes, in poteſtatem Romanorum Pontificum, tanquam in Solem reſpiciunt, & ex ipſa lumen Catholica & Apoſtolica fidei recipiunt. Nec immeritò, quia Petrus legitur primò perfectam fidem eſſe conſeſſus, Domino revelante, cum dixit: Tu es, Chriſtus filius Dei vivi. Et infra: Hunc enim de cæteris mortalibus ex toto terrarum orbe conditor orbis elegit, cui cathedram Magiſterij principaliter poſſidendam tenere, perpetuo privilegij jure conceſſit: ut quicquid divinum aliquid aut profundum noſſe deſiderat, ad hujus præceptionis oraculum doctrinamq; recurrat.* Nota, perpetuo privilegij jure.

28. Et Auguſtinus lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianorum ad Bonifacium Pontificem, c. 1. *Hæc autem, qua duabus Epiſtolis eorum reſpondeo, ad tuam potiſſimùm dirigere ſanctitatem, non tam diſcenda, quàm examinanda, & ubi forſitan aliquid diſplicuerit, emendanda conſtitui.* Verba clara ſunt. Similia habent Theodoretus in Epiſt. ad Leonem Papam, Sozomenus lib. 6. Hiſt. c. 22, & alij paſſim.

QUARTUM PRIVILEGIUM.

*Nullum Decretum statui potest pro
tota Ecclesia, nisi Pontifice
consentiente.*

Quartum privilegiū est, quòd nihil gra-
ve in Ecclesia universali, nisi consulto
ius ac cōsentiente Pontifice, possit tractari,
cerni, ac definiri. Hoc quidē concedis, An-
ni, sed non eo sensu, quo nos. Nam nos dici-
us; hujusmodi decreta vel decisiones, quæ
ant pro tota Ecclesia, non habere vim ac ro-
ur, nisi accedat consensus Pontificis. Tu asse-
, habere quidē robur sine consensu Pontifi-
s; sed tamen plus roboris ex consensu illius
cedere. Nobiscum sentiunt antiqui Patres.

30. Socrates lib. 2. Historiæ cap. 5. *Nec Ju-
s Roma Episcopus in concilio adfuit, neque quæ-
am, qui eius locum suppleret, eo misit, cum utique
clesiasticus canon jubeat, non oportere absq; Ro-
ani Pontificis sententia, Decreta Ecclesiis sancire.*
quitur de concilio Antiocheno, quod cōtra
hanasium celebratum est; sed sine robore &
toritate, quia defuit cōsensus Pontificis.

31. Et Sozomenus lib. 3. cap. 7. *Athanasius
gens Alexandria, Romam adventavit. Eodem
mpore Paulus etiam Cōstantinopolitanus Episco-
s forte illo accessit, & Marcellus quoque Episcopus
Ancyra, & Asclepias Gaza Episcopus: qui cum do-
rina Ariana adversaretur, in crimen vocatus est
Arianis quibusdam, quòd altare everterit, &*

34. Et Act. 16. in Relatione S. Synodi ad
 onem Papam, paulo post mediū: *Hac sunt,*
te tecum, qui spiritu præsens eras, effecimus. Indi-
mus verò, quia & alia quadam pro rerum ipsarū
linata quiete, & propter Ecclesiasticorum statu-
um firmitatem desinimus, scientes quia & Ve-
Sanctitas eadem probatura & confirmatura
 Et circa finem: *Rogamus igitur, & tuis Decre-*
nostrum honora iudicium, & sicut nos Capiti in
is adjecimus consonantiam, sic & Summi as tua,
is, quod decet, adimpleat. Hic petunt Patres
 ncilij, ut, quæ ipsi communi consensu in
 ncilio generali statuerant, à Pontifice con-
 mentur, & robur accipiant.

35. Et Anastasius Hierosolymitanus Pa-
 archa in Epist. ad Felicem Papam: *Fuit sem-*
Apostolica Sedis vestrae licentia, injuste damnā-
vel excommunicatos, potestatis sua auctoritate
itnere, & sua omnia ijs reddere, & eos, qui eos
demnarunt aut excommunicarunt, Apostolico
ire privilegio: Sicut etiam nostris, & anteriori-
novimus factum temporibus, &c. Antiquis re-
is sancitum est, ut quidquid, quamvis in remotis
vinciis. super eorum querelis aut excusationibus
retur, non prius tractandum vel accipiendum
t, quàm ad notitiam almae sedis vestrae esset de-
tum, ut hujus auctoritate, juxta quod fuisset fa-
edum, infirmaretur, aut firmaretur.

36. Et Augustinus cum aliis Episcopis
 ncilii Carthaginensis Epist. 90. ad Inno-
 atium Papam: *Hoc itaque gestum, Domine fra-*
sancte, charitati tuae intimandum duximus, ut

esse consensu Pontificis; modo decretum
 esse bonum sit, & Pontifex rationabiliter non
 pugnet.

QUINTUM PRIVILEGIUM.

*Pontifex potest sancire leges Ecclesia-
 sticas, quæ obligent universam
 Ecclesiam.*

○ **H**Oc sequitur ex dictis, quia cum sit Ca-
 put Ecclesiæ, sicut Rex est Caput re-
 gni, & Imperator imperij; non minus potest
 sancire leges pro tota Ecclesia, quàm Rex pro
 toto regno, aut Imperator pro toto imperio.

41. Hoc magis explicabo ex tribus gene-
 ralibus principijs. Unum est, quod Prælati Ec-
 clesiæ habeant potestatem regendi subditos;
 & quòd subditi jure divino teneantur eis obe-
 dire. Patet ex Scripturis, Luc. 10. 16. *Qui vos*
audit, me audit. Et qui vos spernit, me spernit. Et
 Matth. 18. 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sic-*
ut ethnicus & publicanus. Et Act. 20. 28. *Spiri-*
tus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Et
 Hebr. 13. 17. *Obedite Præpositis vestris, & subiace-*
te illis. Et ratio est, quia si subditi non teneren-
 tur obedire, jam non essent subditi.

42. Alterum est, quòd Prælati Ecclesiæ
 non tantum habeant potestatem regendi sub-
 ditos, sed etiam coercendi & puniendi, si non
 obediant, ut passim docet Apostolus 1. Cor. 4.
 21. *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in Spi-*
ritu mansuetudinis? Et 2. Cor. 13. 10. *Hæc absens*

scribo, ut non praesens durius agam, secundum potestatem, quam Dominus mihi dedit. Et hac potestate frequenter usus est. 1. Quando excommunicavit Corinthium incestuosum. 2. Quando reprehendit Corinthios, quòd iudicio còtenderent apud infideles. 3. Quando Hymenæum & Alexandrum, propter hæresin, tradidit Sathanæ. 4. Quando Thessalonicensibus scripsit: *Si quis non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate, & non commisceamini illi.*

43. Tertium sequitur ex prædictis, quod Prælati Ecclesiæ habeant etiam potestatem condendi novas leges, obligantes in consciëntia. Ratio est, quia habent potestatem regendi & puniendi subditos, & subditi tenentur illis obedire. Ergo habent potestatem condendi leges, secundum quas possint regere & punire subditos, & in quibus subditi teneantur illis obedire.

44. Fortè dices cum Calvino, id non sequi. Nam satis esse, si possint eos regere & punire secundum leges divinas. Nec requiri, ut regant & puniant eos secundum leges humanas. Respondeo. Potestas Prælatorum latius se extendit, quàm ad ea, quæ sunt juris divini. Primò, quia testimonia scripturæ, quæ allata sunt, non astringuntur ad solum jus divinum. Secundò, quia Apostoli multa præceperunt subditis, quæ non erant juris divini. Nam in Concilio Hierosolymitano prohibuerunt sanguinem, suffocatum & immolata, quæ tunc temporis non erant prohibita jure divino.

Jus enim veteris Testamenti erat abrogatum. Nec ullum aliud extabat jus divinum, quo illa prohiberentur. Similiter D. Paulus legem statuit de bigamis ad Episcopatum non admit- tendis. 1. Tim. 3. 2. Et alibi (præsertim 1. Cor. 7. 10.) distinguit sua præcepta à præceptis Christi. Denique legantur canones Apostolorum, concilia generalia, Decreta Pontificum, in quibus sunt multæ leges Ecclesiasticæ de ijs, quæ jure divino in particulari determinata non sunt.

SEXTUM PRIVILEGIUM.

*Pontifex potest excommunicare Epi-
scopos, Reges & Principes graviter
delinquentes, si contumaces
sint.*

45. **D**Uplex est excommunicatió major & minor. Major, de qua híc agimus, est censura seu pœna Ecclesiastica, qua homo Christianus propter delictum & contumaciã, eiicitur extra Ecclesiam, & privatur commu- nibus Ecclesiæ bonis. Nam sicut is, qui in Re- publica civili contumax & rebellis est suo Principi, vel magistratui, potest ejici in exi- lium, & privari privilegijs & commodis illius Reipublicæ, ex qua eiicitur; sic etiam fit in Ecclesia. Sunt autem triplicia bona Ecclesiæ, quibus homo privatur per excommunicatio- nem. 1. Sacramenta, 2. publicæ preces & suf-
R 4 fragia.

fragia. 3. communis convictus & conversatio, fidelium inter se. Igitur, qui excommunicatus est, non potest admitti ad Sacramenta; nec est particeps publicarum precum & suffragiorum, quæ fiunt in Ecclesia; nec potest cum alijs Christianis in communi convictu seu societate conversari, juxta illud Apostoli 1. Cor. 5. *Scripti vobis, cum eiusmodi nec cibum sumere.* Et v. 13. *Auferte malum ex vobis ipsis.*

46. Potestas infligendi hanc pœnam concessa est Apostolis & eorum successoribus, Matth. 18. 15. his verbis: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesia. Si autem Ecclesiam, id est, Prælatos Ecclesiæ, non audierit, sit tibi, sicut Ethnicus & publicanus, id est, privetur omnibus Ecclesiæ bonis, quibus ethnici & publicani privati sunt. Est autem cōcessa propter duos potissimum fines. Primò, in commodum & utilitatem delinquentiũ, ut quando vident se excludi à consortio aliorum, confundantur & resipiscant, juxta illud Apostoli 2. Thess. 3. 14. *Ne commisceamini cum illo, ut confundatur.* Secundò, in bonum & cautelã aliorum, ne inficiantur, juxta illud, 1. Cor. 5. 6. *Nescitis, quia modicum fermentũ totam massam corrumpit?* Vide D. Augustinum lib. 3. contra Epistolam Parmeniani, ubi prolixè & eleganter de hac re disputat.*

47. Hic obiter notandum est, hæc ferè pro eodem usurpari in scripturis & Patribus. 1. Excommunicare aliquem. 2. ejicere de Ecclesia, 3. auferre de medio. 4. tradere Satanæ. 5. habere pro ethnico & publicano. 6. nec cibum cum illo sumere. 7. neq̄ cum eo commisceri. 8. arcere à communionem fraternitatis. 9. Sacramento benedictionis exautorare. 10. communicatione interdicare. 11. à communionem orationis & omnis sancti commercij relegare. Et speciatim advertit Augustinus in quæstionibus super Deuteron. q. 39. hæc formulam loquendi, *Auferte malum ex vobis*, aliter accipi in veteri testamento, aliter in novo. In veteri idè esse, quod *interficite*: In novo, idem, quod *excommunicate*. Unde subjicit: *Hoc nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod tunc agebat interfectio.*

48. His positis, quæstio est, an Pontifex possit Regem Christianum, qui id meritis sit, excommunicare, seu communibus Ecclesiæ bonis privare? Nihil certius apud Catholicos. Imò tam certum apud omnes hoc est, quàm certo persuasum habent, Pontificè esse Christi Vicarium in Ecclesia, & omnes Christi oves illi commissas esse: ideoque, quod Petro dictum est, *Pasce oves meas*, etiam Pontifici, tanquam Petri Successori, dictum esse interpretantur. Sicut ergo Pastor potestatem habet, non solum pascendi & gubernandi oves, quæ ipsius curæ commissæ sunt; sed etiam morbidas & infectas, ab alijs separandi, seu ex ovili depellendi, ne noccant cæteris; sic etiam de Ponti-

CAPUT QUINTUM.

Diluuntur objectiones Marci Antonij contra Primatum Pontificis.

1. **M**ulta objicis contra Primatum Romani Pontificis (lib. 4. cap. 7. & 8.) quæ omnia ferè ex Lutheranis & Calvinistis suffuratus es. Et quidem prima objectio sumitur ex principijs hæctenus à te positis. 2. Ex doctrina Parisiensium Theologorum. 3. Ex eo, quòd in Ecclesia nulla sit jurisdictio. 4. Ex dictis Pelagij & Gregorij Pontificum. 5. Ex conciliis Oecumenicis. 6. Ex Episcopis Asianis. 7. Ex Cypriano. 8. Ex Firmiliano. 9. Ex Episcopis Orientalibus. 10. Ex Athanasio. 11. Ex Basilio. 12. Ex Nazianzeno. 13. Ex Hieronymo & Damaso. 14. Ex Socrate. Et sic deinceps.

I. OBJECTIO.

Ex principiis Marci Antonij.

2. **P**incipia, quæ ais à te prioribus libris probata esse, sunt hæc tria. 1. Quòd Christus non instituerit Monarchiam Ecclesiasticam. 2. Quòd omnes Episcopi, jure divino, sint inter se pares. 3. Quòd solo jure Ecclesiastico introducta sit inter illos aliqua Inæqualitas & Hierarchia. Ex quibus inferis, Pontificem non habere Primatum Ecclesiæ: Vel non esse visibile Caput Ecclesiæ. Sed hæc prin-

principia jam refutata sunt. Quibus oppono alia tria. 1. Quod Christus fuerit visibile Caput Ecclesiæ. 2. Quod Petrus fuerit Vicarius Christi in visibili Ecclesiæ regimine. 3. Quod Pontifex sit Successor Petri cum pari potestate. Ex quibus infero, Pontificem habere Primatum Ecclesiæ, sicut Petrus habuit. Hæc hæctenus probata sunt.

II. OBJECTIO.

Ex doctrina Parisiensium.

3. PRIMò explicas doctrinam Parisiensium ex Gersonio, Petro Aliacensi, Jacobo Almayno, & Joanne Majore (c. 7. n. 4. & aliquot seqq.) deinde nu. 9. ais, illorum doctrinam de Primatu Pontificis, si bene intelligatur, nihil à tua discrepare: nec item à veritate. Illos enim re ipsa negare Primatum; & docere, regimen Ecclesiæ non esse Monarchicum, sed Aristocraticum, quod etiam tu doces.

4. Hic non opus est mea responsione. Ipsi Parisienses in sua censura respondent, quicquid hîc dicis, meram imposturam esse. Itaque negant, tuam doctrinam ab ipsorum doctrina nihil discrepare. Tuam damnant: suam, contra tuam imposturam, à calumnia vindicant. Nihil addam. Hoc solum moneo, te similem esse Lutheranis, qui cùm viderent se priorem à Catholicis turpiter defecisse, nec suæ defectionis prætextum reperirent; sinxerunt se nihil discrepare à Patriarcha Constantino-

tinopolitano : ut hac ratione persuaderent mundo, doctrinā Lutheranorum eandem esse cum doctrina Ecclesiæ Orientalis. Sed repulsam passi sunt. Patriarcha nō agnovit illos pro veris Christianis, sed tanquam impostores abjecit & repudiavit. Idem tibi accidit, Antoni. Defecisti nuper à Catholicis, propter privatos affectus. Quare has prætextū Apostasiæ. Nec alium invenisti, quàm ut diceres, te sentire cū Academia Parisiensi. Reclamant Parisienses: impostorem te vocant. Quem deinceps Patronum quæsiturus es? Nemo, nisi nesciat impostorem te esse, tibi assistet.

III. OBJECTIO.

Ex eo, quòd in Ecclesia nulla sit jurisdictio:

5. **H**anc objectionem propōnis c. 7. n. 6. circa med. his verbis: *Sciunt etiam de jure divino, veram jurisdictionem in Ecclesia nullam esse; sed totam charitate regi, regulis voluntariis ac documentis, suasionem, hortatu, increpationibus & obsecrationibus: pœnas verò alias non habere, nisi ad summum. Exclusionem hominis à reliqua fidelium societate; quæ est pœna duntaxat privativa, non positiva. Quare propter jurisdictiones falsas, & nullas Papatum ponere, est maxima levitatis?*

6. Respondeo. Maxime levitatis est, propter odium privatum; à communi oranium sententia decedere: quod tu facis. Nullum hęc patronum habes, nec Parisienses, nec alios

sed iurisdictionis. Minor probatur dupliciter. Primò, ex supradictis in quinto privilegio, ubi ostendi Prælatos Ecclesiæ habere potestatem condendi leges Ecclesiasticas, sicut Princeps sæcularis habet potestatem condendi leges politicas. Deinde ex tua concessione. Nam li. 2. c. 10. fateris cælibatum Clericorum, jure Ecclesiastico, vel lege Ecclesiastica, vel decreto Ecclesiastico, introductum esse. His enim vocabulis ibi uteris.

8. Altera est: Ubicunque est potestas puniendi subditos delinquentes, ibi est iurisdictionis: At in Ecclesia est potestas puniendi subditos delinquentes: Ergo in Ecclesia est iurisdictionis. Maior nota est. Minor probatur dupliciter. Primo, ex Apostolo 1. Cor. 4. 21. *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in Spiritu mansuetudinis?* Et 2. Cor. 13. 10. *Hæc absens scribo, ut non præsens durius agam secundum potestatem, quam Dominus mihi dedit. Quæ est illa potestas? Non ordinis, sed iurisdictionis. Deinde ex tua concessione, quia fateris, in Ecclesia esse potestatem excommunicandi, seu, ut tuis verbis utar, potestatem *excludendi homines à reliqua fidelium societate.**

9. Quòd autem ais, excommunicacionem esse pœnam tantùm privativam, non positivam; nihil obstat iurisdictioni positivæ. Imò talis pœna, etiamsi privativa sit, non potest legitimè infligi, nisi ab eo, qui habet positivam potestatem puniendi: Quæ positiva potestas est vera iurisdictionis. Disce hoc, ex-

emplo Regis. Nam si Rex non haberet positivam jurisdictionem in subditos, non posset delinquentes ejicere in exilium, neque privare communi civium societate, aut fama, aut Capite, aut bonis temporalibus. Nec valet hæc consequentia: Privare hominem civili societate est pœna privativa: Ergo non requirit positivam jurisdictionem.

10. Denique falsum est, quod addis, Ecclesiam non habere alias pœnas, quàm increpationem & excommunicationem. Habet jejunia, orationes, elemosynas, castigationes corporales, quas per modum pœnæ aut satisfactionis, potest pœnitentibus imponere, ut semper usurpatum est. Habet interdicta; irregularitates, & alias censuras Ecclesiasticas; quibus subditi coercentur. Et quid respondebis Petro & Paulo Apostolis; quorum alter Ananiam & Saphiram corporali morte punivit: alter incestuosum Satanæ tradidit in interitum carnis? An illis objecturus es in Ecclesia non esse alias pœnas, nisi increpationem & excommunicationem; ideoq; malè eos fecisse, quòd alias usurpaverint?

IV. OBJECTIO.

*Ex dictis Pelagij & Gregorij
Pontificum.*

11. **A**Is (cap. 7. n. 10. & seqq.) hos duos Pontifices acerrimè oppugnasse Primum in Ecclesia, eo quòd oppugnaverint titulum:

Oecumenici seu universalis Paeriarche, quo utebatur Joannes Constantinopolitanus & pifcopus. Hæc enim duo, secundum te, idem valēt. 1. eſſe univerſalem ſeu Oecumenicum Patriarcham. 2. eſſe Caput Eccleſiæ univerſalis, vel habere Primatum Eccleſiæ univerſalis. Ergo qui oppugnat prius, oppugnat etiam poſterius.

12. Verba Pelagij ſunt hæc: *Nullus Patriarcharum hoc tam prophano vocabulo unquam utatur, quia ſi unus Patriarcha univerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* Quæ verba ſumpta ſunt ex epiſtola Pelagij Papæ ad illegitimam Synodum Constantinopolitanam (tom. 2. concilior. in Decret. Pelagij) & referuntur apud Gratianum diſt. 29. cap. Nullus.

13. Verba Gregorij lib. 4. epiſt. 32. a Mauritium ſunt hæc: *Quis eſt iſte, qui contra ſtatuta Evangelica, contra canonum Decreta, novum ſibi uſurpare nomen præſumit?* Et infra: *Sed abſit à cordibus Chriſtianorum nomen iſtud blaſphemia, in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dum ab uno ſibi dementer arrogatur.* Et lib. 6. epiſt. 30. *Ego fidenter dico, quia quiſquis ſe univerſalem Sacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua Antichriſtum præcurrit, quia ſuperbiendo ſe cæteris præponit.* Alibi habet ſimilia.

14. Reſpondeo. Pugnas contra te ipſum. Nam lib. 3. cap. 8. num. 14. ſic habes: *Docuimus, unumquemq̃. Epiſcopum jure divino eſſe univerſalem.* Vel verè, vel falſò id docuiſti. Si verè, neceſſe eſt Pelagium & Gregorium, quos pro

te adducis, falsum docuisse. Nam illi docent, nullum debere vocari Episcopum aut Sacerdotem universalem. Si falsò, revoca errorem. Deinde non intelligis citatos Patres. Reprehendunt illi Joannem Constantinopolitanũ Episcopum, quod titulum universalis Patriarchæ vel Sacerdotis, fastuosè sibi arrogaverit. Ut autem constet, quo sensu id fecerit, notandum est, hæc duo distingui, quæ tu confundis,

1. Dicitur universalem Episcopum in Ecclesia.
2. Dicitur Episcopum universalis Ecclesiæ.

Prior titulus reprehenditur in Joanne; posterior Romano Pontifici conceditur. Et citati Patres priorem asserunt esse prophanum, blasphemum, Antichristianum: posteriorè, non item.

15. Est autem hoc discrimen inter utrumque titulum. Qui dicit se esse universalem Episcopum vel sacerdotem, insinuat se solum esse Episcopum, & alijs omnibus derogat nomen & honorem Episcopalem. Et hoc fecisse Iohannem, testatur Gregorius, partim locis citatis, partim libr. 4. epistol. 34. cum ait: *Triste valde est, ut patienter feratur, quatenus despectis omnibus, pradietus frater & Coepiscopus meus, solus conetur appellari Episcopus.* Et Epistol. 36. ad Eulogium: *Si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* Et libr. 7. epistol. 69. ad Euseb: *Nam si unus, ut putat universalis est, restat ut vos Episcopi non sitis.*

16 Qui autem dicit, se esse Episcopum vel Pastorem universalis Ecclesiæ, non significat se esse solum Episcopum vel Pastorem; sed se habere

habere generalem curam, & gubernationem totius Ecclesiæ, licet alij Episcopi habeant specialem curam, & gubernationem Ecclesiarum particularium. Et hoc sensu Pontifex solet vocari Episcopus & Pastor universalis Ecclesiæ. Quod etiam fatetur Gregorius. Nam lib. 6. Epist. 32. ait: *Petro omnium Apostolorum Principi, totius Ecclesiæ cura commissæ est.* Item, *Cura ei totius Ecclesiæ & Principatus committitur, & tamen universalis Apostolus non vocatur.* Idem sentiunt alij Pontifices, qui Gregorium præcesserunt, ut Sixtus I. epist. 2. Victor I. epist. 1. Pontianus epist. 1. & alij. Qui se vocarunt Episcopus universalis Ecclesiæ. Verba eorum sunt hæc: *Sixtus universalis Apostolica Ecclesiæ Episcopus, omnibus Episcopis in Domino salutem.* Item, *Victor Romana & Universalis Ecclesiæ Archiepiscopus.* Item, *Pontianus sanctæ & universalis Ecclesiæ Episcopus.* Et sic alij deinceps.

17. Vides Marce Antoni, Pelagium & Gregorium frustra à te adductos esse, contra nos. At meritò contra te adduci possunt. Nam Gregorius, ut jam dixi, agnoscit, Petro totius Ecclesiæ curam & Principatum commissum esse, quod tu negas. Similiter Pelagius loco citato sic habet: *Relatum est ad Apostolicam Sedem, Joannem Constantinopolitanum Episcopum, univrsalem se scribere, vosque ex hac sua præsumptione ad Synodum convocare generalem, cum generalem Synodum convocandi autoritas Apostolica Sedi beati Petri singulari privilegio sit tradi-*

ta; & nulla unquam Synodus rata legatur quæ Apostolica autoritate non fuerit fulta. Et infrà: Sciat Joannes, nisi errorem suum citò correxerit, à nobis excommunicandum fore. Quibus verbis fatetur hæc tria. 1. Autoritatem convocandi generalem Synodum, singulari privilegio, traditam esse Apostolicæ Sedi. 2. Nullã Synodum ratam esse, quæ Apostolica autoritate non sit firmata. 3. Pontificem posse excommunicare Episcopos Orientales. Quæ omnia contra te sunt. Nec debes excipere, suspectos esse Pelagium & Gregorium in hac causa. 1. quia tu uteris ipsorum autoritate. 2. quia vocas eos Pontifices sanctos: idque propterea, ut ipsorum testimonium plus ponderis habere videatur.

18. Ex dictis facilè solvuntur argumenta, quæ frustra ex Pelagio & Gregorio adducis contra Primatum Pontificis, (lib. 4. cap. 7. num. 22) Percurram obiter. Primum est: Qui se dicit universalem Episcopum, reliquis omnibus Episcopis aufert nomen, honorem, & dignitatem Episcopalẽ: At Pontifex hoc facit: Ergo &c. Resp. Major vera est eo sensu, quo Joannes vocabat se universalem Episcopũ. Minor falsa est, quia Pontifex vocat quidem se Episcopum universalis Ecclesiæ; non tamen Episcopum universalem, eo sensu, quo Joannes.

19. Secundum: Luciferianum est, velle unũ Episcopum se efferre super alios Episcopos, qui sunt astra cœli. Resp. Lucifer voluit se efferre supra astra cœli, ex mera superbia, non autem

autem ex Dei ordinatione. Luciferū imitatus est Joannes Constantinopolitanus. At Pontifex Romanus, Petri Successor, id non facit. Imitatur Petrum, cui totius Ecclesię cura erat demandata; & ideo totius Ecclesię Pastorem & Episcopum meritò se vocat: non ex superbia, sed ex Christi institutione.

20. Tertium: Schisma aperit & inducit, qui se vocat: universalem. Resp. Joannes inducebat schisma, quia cum Pontifex Romanus esset Episcopus universalis Ecclesię, cui omnes tenebantur obedire, ipse se subduxit ab obedientia, & vocavit se universalem Patriarchā: & sic dividebat unitatem Capitis in Ecclesia. Hoc non facit Pontifex. Quærit conservare unitatem Capitis; non in varia schismata distrahere.

21. Quartū: Solus Christus est Ecclesię Caput universale, & omnes Episcopi sunt Christi membra. Resp. Solus Christus est Caput Ecclesię, quoad internum influxum gratiæ. At non Solus est caput, quoad externam gubernationem. In priori officio Capitis non admittit Vicarium; in posteriori admittit. Hoc lib. 1. fusè explicatum est.

22. Quintum: Neq; Petrus, neque ullus Apostolus, aut Sanctus Episcopus, vocavit se unquam universalem. Respondeo. Si de nomine disputas verum est; si de re ipsa, falsum. Nam Petrus re ipsa exercuit officium Pastoris, respectu totius Ecclesię: quod etiam fecerunt Successores Petri: Et tametsi non vocaverint

verint se universales; vocati sunt tamē & piscope seu pastores universalis ecclesiæ, ut c. 1. præcedenti in primo privilegio ostensum est.

23. Sextum: Proprium est Præcursoris Antichristi, superbiendo se cæteris antepone. Resp. Verum est. At Pontifex hoc non facit. Non enim ex superbia, sed ex divina institutione, cæteris se antepone: Sicut in veteri testamento faciebat Moyses, & reliqui summi Pontifices. Sicut etiam in regno Angliæ facit Rex, & in imperio Imperator. Uterq; enim legitimo jure Electionis præfert se alijs. In quo dissimiles sunt Joanni Constantinopolitano, qui ex superbia, non ex Dei ordinatione, se cæteris anteponebat.

24. Septimum: Si in ecclesia esset aliquis Episcopus universalis, eo sanè in hæresin lapsus, tota caderet, aut macularetur ecclesia. Resp. Hoc argumentū sumpsisti ex Gregorio lib. 4. epist. 32. & lib. 9. epist. 24. Qui longè aliter id proponit contra Joannem Episcopum Constantinopolitanum. Et supponit hæc duo principia. 1. Quod multi Episcopi Constantinopolitani in hæresin lapsi sint, ut Nestorius, Macedonius, & plures alij. 2. Quòd is, qui vocat se Episcopum & Sacerdotem universalem, eo sensu, quo Joannes vocabat se universalem, significet se solum esse episcopum & Sacerdotem; & reliquis omnibus deroget nomen, honorem, & autoritatem episcopalem ac Sacerdotalem. Ex utroque sic argumentatur: Si Nestorius aut Macedonius fuis-

fuiſſet epiſcopus & Sacerdos univerſalis, ſequeretur totam eccleſiam fuiſſe lapſam, quãdo ipſe lapſus eſt. Quæ conſequentia bona eſt, ſuppoſitis illis principijs, quæ jam poſita ſunt. Tunc enim cenſetur labi, vel periclitari eccleſia, quando nullus in ea manet Sacerdos aut epiſcopus. At labente epiſcopo univerſali, qui ſolus vult haberi Sacerdos & epiſcopus, nullus amplius manet epiſcopus aut Sacerdos. Ergo labente tali epiſcopo, cenſetur labi tota eccleſia.

25. In hoc argumento plus roboris eſt, quàm in iſto: Si Rex laberetur in hæreſin, totum regnum periclitaretur. Nam etiã ſi Rex laberetur, adhuc ſupererent epiſcopi & Sacerdotes Catholici, qui populum in fide retinerent. At labente epiſcopo univerſali, nullus ſuper eſt epiſcopus aut Sacerdos Catholicus, qui poſſit populum inſtruere. Nec ad Romanum Pontificem poteſt hoc argumentum applicari. Primò, quia Gregorius ſupponit Romano Pontifici dictum eſſe, quod Petro dictum eſt: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* (lib. 4. epiſt. 32.) Secundò, quia Romanus Pontifex non dicit ſe univerſalem epiſcopum, id eſt, non dicit ſe ſolum eſſe epiſcopum, derogando alijs nomen, honorem, & autoritatem epiſcopalem. Unde etiã ex hac parte (poſito, ſed non conſeſſo, quòd poſſit fieri hæreticus non ſequeretur, labente Pontifice, totam eccleſiam periclitari. Nam illo labente, adhuc ſupererent multi epiſcopi & Sacer-

dotes, qui Ecclesiæ prospicerent, donec novus eligeretur Pontifex.

V. OBJECTIO.

Ex Conciliis Oecumenicis.

26. **O**bjicis duo concilia Oecumenica, secundum & quartum, id est, Constantinopolitanum & Chalcedonense, quæ declararunt Episcopum Constantinopolitanum Romano Pontifici in potestate & privilegijs parem esse. Respondeo. Falsum est. Nam in Concilio Constantinopolitano c. 5. juxta primam editionem sic legimus: *Constantinopolitana civitatis Episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum Episcopum, propterea quod sit nova Roma.* Vel, ut habet altera editio: *Constantinopolitanus Episcopus habeat priores honoris partes post Romanum Episcopum, eo quod sit ipsa nova Roma.* In quo canone solum decernitur, ut Episcopus Constantinopolitanus habeat præcipuam dignitatem post Episcopum Romanum, non autem, ut habeat parem dignitatem cum Episcopo Romano. Itaque hoc decretum factum est in favorem Episcopi Constantinopolitani, non respectu Pontificis, sed respectu aliorum Episcoporum, præsertim Alexandrini & Antiocheni, qui cum illo certabant de honoris prærogativa. Et definitum, ut post Pontificem, qui semper supremus in Ecclesia habitus est, proximum locum teneret Constantinopolitanus, non autem Alexandrinus aut Antiochenus.

27. Ex Concilio Chalcedonenſi, aët. 15. citas canonem 28. in quo ſtatuitur, *Conſtanti- nopolin æqualib. cum Roma privilegiis frui debere.* Sed fruſtra. Nam canon ille clandestinus & ſubreptitiuſ eſt, quem Legati Pontificis nunquam approbarunt. De hoc vide Baronium Tom. 6. Annalium, An. Chriſti 451. Bell. lib. 2. de Pontif. c. 18. Et Notationē quæ habetur to. concil. ad finem 15. actionis Chalcedonenſis, quæ ſic habet: *Meminerit candidus lector cano- nem hunc 28. de Conſtanti-nopolitani Episcopii pri- vilegiis & eminentia proſus rejectum eſſe à Leone ſancitiſſimo Pontifice Romano, ut ex multis eius ſu- præ excuſſis literis perſpicuè videre licet. Et certè, coactus eſt etiam Anatolius ipſe Conſtanti-nopolis Antisſtes, qui callidè à Patrib. Chalcedonenſis Syno- di, canonis huius promulgationem impetra-verat, reclamantibus Romani Pontificis Leonis Legatis & Vicarijs, intra priſtinos ſe limites tenere & ab in- fauſto ambitionis conſilijs animum revocare.*

VI. OBJECTIO.

Ex Episcopis Aſianis.

28. **S**extò objicis: Polycrates Episcopus Aſianus, & Irenæus reſtiterunt Victori Papæ, Aſiaticas Eccleſias excommunicanti. Reſp. In factò Victoris duo ſpectanda ſunt. 1. Potestas excommunicãdi. 2. Cauſa excôm- municationis. Igitur Polycrates & Irenæus non negarunt Victorem Papam habere poteſtatē excômunicandi Episcopos Aſiæ (ut bene no-

rat Baronius to. 2. Annalium Ann. Christi 198. & patet ex eo, quod suprà ostensum est, Pontificem posse excommunicare Episcopos, Reges, & Imperatores, si fuerint cõtumaces) sed negarunt causam excommunicationis fuisse sufficientem, & ideo illi restiterunt. Causa excommunicationis erat hæc. Post longam controversiam de celebratione Paschæ, an deberet celebrari, cum Judæis 14. die primi Mensis, sive dies esset Dominicus, sive non; an verò die tantùm Dominico; tandem definivit Victor, celebrandum esse die tantùm Dominico. Et voluit, ut in Asia servaretur hoc ipsius decretum. Asiani non volebant servare. Igitur à Põtifice excommunicati sunt. Pontifici restiterunt Polycrates & Irenæus, asserentes, nihil aliud hoc esse, quàm turbare Ecclesiam. Nec esse legitimam causam excõmunicationis: In Asia semper celebratum fuisse Pascha die 14. primi Mensis: hanc consuetudinem mutari non debere.

29. An autem Victor habuerit sufficientẽ causam, nec ne, jam non disputo. Si habuit, immeritò reprehensus est à Polycrate & Irenæo. Si non habuit, reprehendi potuit cum debita modestia, sicut Petrus à Paulo reprehensus est. At hoc non derogat ipsius potestati aut jurisdictioni. Nam etiam Rex potest reprehendi à consiliario vel Principe, salva ipsius corona & autoritate. Vide quæ dicta sunt lib. 2. c. 7. §. 38. & seqq.

VII. OBJECTIO.

Ex Cypriano.

30. **S**EPTIMÒ objicis. Cyprianus libr. 3. Epist. 3. ad Corneliū, non patitur se esse inferiorem Romano Pontifice, sed ei se penitus parem facit. Nam cūm Cyprianus excommunicasset quosdam Clericos, qui postea Romam confugerunt ad Pontificem, & ab eo recepti sunt in communionem: egrè id tulit Cyprianus, & scribit Pontificem id facere non potuisse: atq; ex tali facto solere schismata in Ecclesia oriri, quando unus Episcopus immiscet se negotio alterius.

31. Hoc probas ex verbis Cypriani, qui loco citato sic scribit: *Neque enim aliunde hareses oborta sunt, aut nata schismata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur. Nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos & ad tempus Judex vice Christi cogitatur, cui si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversus Sacerdotum Collegium quicquam moveret: nemo post divinum judicium, post populi suffragium, post Coepiscoporum consensum, judicem se non jam Episcopi, sed Dei faceret. Nemo dissidio unitatis Christi Ecclesiam scinderet: Nemo sibi placens ac tumens, seorsim foris, novam haresin conderet. Ubi per Sacerdotem Dei, qui unus in Ecclesia fungitur officio judicis vice Christi, ais intelligi unumquemq; Episcopum in suo Episcopatu.*

32. Deinde in progressu sic pergit Cyprianus: *Nam cum statutum sit omnibus nobis, & aequum sit pariter ac iustum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum, & singulis pastoribus portio gregis sit ascripta, quam regat unusquisque, & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus; oportet utique eos, quibus presumimus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam coherentem subdola & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam ubi & accusatores habere, & testes sui criminis possint: nisi paucus desperatis & perditis minor videtur esse autoritas Episcoporum in Africa constitutorum, qui jam de illis judicaverunt, & eorum conscientiam multis delictorum laqueis vinculam, iudicij sui nuper gravitate damnarunt. Jam causa eorum cognita est: jam de ijs dicta sententia est. Unde concludis, non esse minorem autoritatem Episcoporum Africae, quam Romani Pontificis, in iudicio Ecclesiastico: ac proinde, qui ab aliquo Episcopo Africae excommunicati sunt, non debere à Romano Pontifice admitti in communionem.*

33. Resp. Prius testimonium Cypriani contra te est. Nam ibi expressè docet, ideo in Ecclesia nasci hæreses & schismata, quia non obtemperatur Sacerdoti, id est, Pontifici, qui unus in tota Ecclesia constitutus est, ut loco Christi sit Judex omnium controversiarum fidei. Quod alijs quidem verbis, sed eodem sensu clarissimè docet in li. de Simpl. Præl. seu de unitate Ecclesiæ, ubi querens, quare in Ecclesia nascantur hæreses & schismata, sic respondet:

det: Hoc eo fit fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec Caput quaritur &c. quæ locum fusè explicavi lib. 2. c. 7. object. 1.

34. Circa posterius testimoniū, tria discutienda sunt. 1. Quod sit illud statutum, de quo loquitur Cyprianus. 2. Qui sint illi pauci desperati & perditī, quos ait ab Episcopis dānatos esse. 3. Quo sensu intelligendum sit, quod ait: *Nisi minor videtur esse auctoritas Episcoporum in Africa.*

Est igitur prima quæstio, de quo statuto loquatur Cyprianus? Resp. Vel loquitur de statuto Fabiani Papæ, vel de aliquo simili, quod ex illo desumptum est. Statutum Fabiani habetur in Epistola ipsius tertia ad Hilarium Episcopum his verbis: *Peregrina vero iudicia salva in omnibus Apostolica auctoritate, generali sanctione prohibemus: quia indignum est, ab externis ut iudicetur, qui provinciales, & à se electos debet habere iudices, nisi fuerit appellatum. Unde oportet, si aliquis Episcoporum super certis accusetur criminibus, ut ab omnibus audiatur, qui sunt in Provincia Episcopis, quia non oportet, accusatū alicubi, quàm in foro suo audiri. Et paulò post: Semper ibi causa agatur, ubi crimen admittitur. Et iterum: Placuit etiam, ut si Episcopus appellavit ad Apostolicam Sedem, id statuendum, quod eiusdē Sedis Pontifex statuerit.* Habetur hæc epistola tom. 1. cōcil. in decretis Fabiani Papæ. Ex hoc statuto colliguntur hæc duo. 1. Causam uniuscujusq; debere illic audiri & judicari, ubi admittum crimen est. 2. Licere tamen appellare ad Pontificem

tificem Romanum tanquam ad supremum in Ecclesia judicem. Quod tibi contrarium est.

35. Altera quæstio est, Qui sint illi pauci desperati & perditæ, quos ait Cyprianus ab Episcopis Africanis legitimè dānatos esse? Resp. Sunt quinque; schismatici Pseudoepiscopi, Privatus, Felix, Jovinus, Maximus, Repostus, qui propter adulteria, stupra, & nefanda sacrificia legitimè accusati, & ab Episcopis Catholicis in Africa damnati sunt. De quibus hæc scribit Cyprianus in epistola citata. 1. Quod Fortunatum creaverint Pseudoepiscopum, contra Cyprianum, qui erat legitimus Episcopus. 2. Quod Felicissimū Romam miserint ad Cornelium Papam: non appellandi causa, sed fallendi & mentiendi. Dicebant enim Fortunatum legitimè electum esse Episcopum à viginti quinque Episcopis; quod erat falsum, cū non fuerit electus, nisi à quinque Pseudoepiscopis. Dicebant Cyprianum non esse legitimum Episcopum. Hæc & similia dicebant, ut à Cornelio Papa reciperentur ad communionem Sedis Apostolicæ, & Cyprianum cum alijs Episcopis facerent suspectum apud Pontificem. Sciebant enim, se pro hæreticis vel schismaticis habendos, si Apostolicæ Sedis cōmunionem carerent. De hac ipsorum fraude conqueritur Cyprianus. Vnde colligo hæc tria. 1. Cyprianum non negare, quin liceat appellare ad Pontificem, si appellatio sit justa & legitima. 2. Reprehendere tamen mendacem ac fraudulentam appellationem, 3. Non solum Cypria-

prianū, sed etiam adversarios ipsius agnoscere Pontificem esse supremum iudicem in Ecclesia, quia certò persuasum habent, se non habendos pro hæreticis, si cum illo ad communionem admittantur.

36. Tertia quæstio, quo sensu intelligendū sit, quod Cyprianus ait: *Nisi minor videtur esse auctoritas Episcoporum in Africa constitutorū?* Respondeo. Non debet sic intelligi, quasi non sit minor autoritas Episcoporū Africæ, quàm Romani Pontificis, in iudicio Ecclesiastico, ut tu putas. Nam si ab Episcopis licet appellare ad Pontificem; necesse est, minorem esse Episcoporum, quàm Romani Pontificis, auctoritatem. Debet ergo sic intelligi, quòd non sit minor autoritas Episcoporum in Africa, quam in Gallia & alijs Provincijs. Ut hic sit sensus: Fabianus Papa generatim statuit, ut si quis Episcopus accusetur super certis criminib. audiatur ab omnibus Episcopis, qui sunt in Provincia, ubi crimina commissa sunt. Hoc statutum tam debet intelligi de Episcopis Africæ, quàm aliarum Provinciarum. Si ergo, vigore hujus statuti, permissum est Episcopis aliarum Provinciarum iudicare Episcopum de criminibus in propria Provincia commissis; etiam Episcopis Africæ id permissum est. Nam horum autoritas non est minor, quàm aliorum. Hanc explicationem confirmant illa verba Cypriani, *Nam cum statutum sit omnibus nobis, id est, cùm statutum Fabiani pertineat æquè ad omnes Episcopos &c.*

37. Iterum objicis ex eodem: Cyprianus facit se parem Stephano Pontifici in Ecclesia universali gubernanda. Nam lib. 3. epist. 13. sic Stephanum alloquitur: *Cui rei nostrum est consulere & subvenire, frater charissime, qui divinam clementiam cogitantes, & gubernanda Ecclesie libram tenentes, sic censuram vigoris peccatoribus exhibemus, ut tamen lapsis erigendis, & curandis vulneratis, bonitatis & misericordie divina medicinam non denegemus. Quapropter facere te oportet plenissimas literas ad Coepiscopos nostros in Gallijs constitutos &c.* Hic vim facis in eo, quod dicit Cyprianus, *Qui gubernanda Ecclesia librā tenentes.* Ex quo deducis, æquè Cyprianum ac Pontificē fuisse totius Ecclesie gubernatorē.

38. Respondeo, Cyprianus rogat Stephanum Papam, ut scribat literas ad Episcopos Gallie, & ipsis Pontificia autoritate denunciaret, ut Marcianum Episcopum Arelatensem, propter hæresin Novatianam, deponant ab Episcopatu, & alium in locum ejus substituant. Et simul insinuat hæc duo. 1. Se id rogare ex pio affectu erga Ecclesiam, ne illa detrimentum patiatur. 2. Cum ipse per se, & sua autoritate, non possit Episcopis Gallie id denunciare; rogare se, ut Pontifex id faciat, cui omnes Episcopi subjecti sunt. Alioqui, si ipse potuisset per se præstare, quid necesse erat contugere ad Pontificem?

39. Hunc sensum colligo ex ipsis Cypriani verbis. Sic enim incipit: *Faustinus collega noster Lugduni consistens, frater charissime, semel at-*
que

que iterum mihi scripsit, significans ea, quæ etiam vobis scio utique nuntiata, iam ab eo, quam à cæteris Coepiscopis nostris in Provincia constitutis, quod Marcianus Arelate consistens, Novatiano se conjunxerit, & à Catholica Ecclesia unitate disjunxerit &c. Cui rei nostrum est consulere. &c. Ecce, jã omnes Episcopi Gallix scripserant Pontifici, ut succurreret. Et unus ex illis, Faustinus nomine, scripserat etiam Cypriano, ut Pontificem sui officij moneret. Sed quare omnes scripserant Pontifici? Quare ipsi per se non deponerant Marcianum ab Episcopatu, & alium substituebant? Quia sciebant se sua auctoritate id non posse, sed auctoritate Pontificis, cui omnes Episcopi subjecti sunt. Et ideo Faustinus etiam petebat à Cypriano, ut Pontificem instigaret. Quod & fecit Cyprianus his verbis: *Quapropter te facere oportet plenissimas literas, ad Coepiscopos nostros in Gallijs constitutos, ne ultra Marcianum pervicacem & superbum, & divine pietatis ac fraternæ salutis inimicum, collegio nostro insultare patientur.* Et infra: *Dirigantur in Provinciam, & ad plebem Arelate consistentem à te literæ, quibus absento Marciano, alius in locum ejus substituat.* Quasi dicat: Neque ego, neque Episcopi Gallix possunt id præstare. Tui id officij est: ideo ad te confugimus. Vides, Marce Antoni, Cyprianum tibi iterum adversari,

VIII. OBJECTIO.

Ex Firmiliano Episcopo.

40. **O**ctavo objicis: Firmilianus Episcopus Cæsareæ Cappadociæ non agnovit Stephanum Pontificem pro Capite Ecclesiæ, sed illum contempnit. Nam in Epistola ad Cyprianum scripta graviter invehitur in Pontificem: Et inter cætera sic illum alloquitur: *Volentibus vivere, causa mortis fuisti, & insuper indignaris. Vide qua imperitia reprehendere audeas eos qui contra mendacium pro veritate nituntur.* Et infra: *Nisi quod imperitos, etiam animosos atq; iracundos esse manifestum est: dum per inopiam consilij & sermonis, ad iracundiam facile vertuntur, ut de nullo alio magis, quàm de te dicat scriptura divina, Proverb. 19. Homo animosus parit lites, & vir iracundus exaggerat peccata. Lites enim & dissensiones quantas parasti per Ecclesias totius mundi? peccatū verò quàm magnum tibi exaggerasti, quādo te à tot gregibus scidisti?* Et multa alia in eundem sensum. Ex quibus colligis, Firmilianum non agnovisse Pontificem pro suo Primatè, seu Ecclesiæ governatore.

41. Respondeo. Firmilianus tunc fecit, quod tu nunc facis. Offensus erat Pontifici, sicut tu es. Et ex illa offensa, multis convitiis proscindebat Stephanum, sicut tu proscindis Paulum. Itaque argumentum, quod sumis ex Firmiliano, tanti valet, quanti hoc, quod ex te fumo: Marcus Antonius, ex privato odio, non agnoscit Pontificem pro Capite Ecclesiæ: Er-

go Pontifex non est Caput Ecclesiæ. Facessant huiusmodi ineptiæ. Porro causa, cur Firmilianus tam acerbè scripserit in Pontificem, hæc est. Cyprianus cum multis Episcopis Africæ contendebat Baptismum ab hæreticis collatum, non esse validum, ac proinde baptizatos ab hæreticis, quando redeunt ad Ecclesiam Catholicam, esse rebaptizandos. Hanc sententiam sequebatur Firmilianus cum aliis Episcopis Cappadociæ, Siliciæ & Galatiæ: qui omnes in Synodo Iconii habita, statuerunt, nihil eorum, quæ ab hæreticis fiunt, ab Ecclesia Catholica recipiendum esse: Non Baptismum, non ordinationem, non manuum impositionem, non alia similia. Hoc patet ex Epistola Firmiliani iam citata, ubi sic scribit: *Planè, quoniam quidam de coram baptismo dubitant, plurimi simul convenientes in Iconio, diligentissimè tractavimus & confirmavimus, repudiandum esse omnino baptismum, quod sit extra Ecclesiam constitutum.*

42. Stephanus Pontifex, nixus Apostolica traditione, contrarium decernebat, nempe Baptismum ab hæreticis collatum, si aliunde non esset defectus, validum esse: ac proinde baptizatos ab hæreticis non esse rebaptizandos. Quia verò Episcopi, qui fuerant in Synodo Iconiensi, pertinaciter persistebant in sua opinione, à Stephano excommunicati sunt, (apud Eusebium lib. 7. c. 4.) Hoc ægrè ferens Firmilianus, strinxit calamum, & epistola ad Cyprianum missa, multis calumniis bonum Pontificem

tificem infectatus est : eoque liberius id fecit, quòd sciret Cyprianum esse in eadem secum opinione, & Pontifici in hoc puncto adversari.

43. Hæc est historia reigestæ. In qua tria certa sunt. 1. Cyprianum & Firmilianum cum alijs Episcopis, in illa cõtroversia de Baptismo hæreticorum errasse, quod etiam te tateri necesse est. 2. Eisdem peccasse, quòd non voluerint Stephano Pontifici obedire: ut de Cypriano scribit Augustinus lib. 1. contra Donatist. c. 18. & alibi. 3. Non tamen peccasse contra fidẽ, sed contra obedientiam. Nam Stephanus Papa non definiverat illam controversiam, tanquam de fide : Sed solùm præceperat, ut non recaptizarentur hæretici, ut fatetur ipsemet Cyprianus in epistola ad Pompejum.

IX. OBJECTIO.

Ex Episcopis Orientalibus in Concilio Antiocheno.

44. **N**ONò obiicis : Episcopi Orientales in Concilio Antiocheno, duplici de causa restiterunt Julio Pontifici. 1. Quòd ipsos Romam citasset. 2. Quòd Athanasium ad se confugientem, qui in Synodo Orientali fuerat damnatus, absolvisset, & suæ Sedi restituisset. In utroque dicebant illum usurpasse plus autoritatis, quàm debebat. Unde etiam can. 12. statuerunt, *ut major debeat esse Synodus, quæ absolvit, quàm fuerat illa quæ damnavit.* Insinuantes Athanasium, si legitimè vellet absolvi, non debere quærere absolutionem ab uno Episco-

piscopo, qualis erat Julius, sed ab aliqua Synodo majori, quàm fuerat illa, in qua erat dānatus. Hæc omnia probas ex Epistola Julij, quam scripsit ad Orientales.

45. Respōdeo. Hæc objectio magis te premit quàm nos. Tu objicis Episcopos Orientales, inter quos erant triginta sex Ariani. Ego vicissim objicio Athanasium & Julium, qui erant sincerissimè Catholici. Objectio tua est hæc: Episcopi Orientales, qui magna ex parte erant Ariani, restiterunt Julio: Ergo nō habebant illum pro Capite Ecclesiæ. Mea est hæc: Athanasius vir doctissimus & sanctissimus, ab Episcopis Orientalibus appellavit ad Pontificem, tanquam ad legitimum judicem: Ergo agnovit illum pro legitimo judice. Item: Julius absolvit Athanasium, & citavit Episcopos Orientales: Ergo agnovit se habere potestatem hoc faciendi. Videamus nunc, tua an mea objectio plus momenti habeat. Tua fundatur in facto Arianorum: mea in facto sanctissimorum Patrum. Tu credis Episcopis hæreticis: Ego credo Episcopis Catholicis. Credo, inquam, Athanasio, de quo testatur D. Thomas (1. p. q. 61. art. 3.) quòd nunquam in doctrina fidei erraverit. Credo Julio Pontifici, à quo ipsi etiam Ariani veniam deprecari sunt, ut fatetur Athanasius Apolog. 2. contr. Arianos, his verbis: *Ariani victi à veritate, veniam scriptis literis à Juliano Romano Pontifice poposcerunt, & ad nos pro pace epistolas misere.*

X. OBJECTIO.

Ex Athanasio.

46. **T**Ria objicis ex Athanasio. Primò, quòd totam dignitatem Romanæ Ecclesiæ in eo posuerit, quòd esset Sedes Apostolica. Secundò, quòd commemorans impudentiam cujusdam Eunuçi, non veriti præsentiam Liberij Pontificis, dixerit. *Oblitus sui, quòd coram Episcopo staret.* Si putasset, inquis, Pontificem esse Vicarium Christi, dixillet, *oblitus sui, quòd coram Vicario Christi, coram Vice-Reo staret.* Tertiò, quòd Orat. I. contra Arianos, recensens præcipuos Scriptores sui temporis, non ponat primo loco Romanos Pontifices.

47. Respondeo. Prima objectio contra te est. Nam ex eo, quòd Romana Ecclesia est Sedes Apostolica, habet Apostolicam dignitatem. Et sicut in illa Sede Apostolica primus omnium sedit Petrus, qui erat Vicarius Christi; sic post Petrum, in eadem sedit Pontifex, Successor Petri cum pari potestate. Itaque Athanasius nõ potuit majorem laudem tribuere Romanæ Ecclesiæ, quàm dicendo, Sedem Apostolicam esse.

48. Altera objectio puerilis est. Nã sicut rectè dicimus: *Oblitus sui, quòd coram Deo, vel coram Christo, vel coram Rege staret:* Ita rectè dicimus: *Oblitus sui, quòd coram Episcopo staret.* Neq; necesse est, omnes titulos, qui alicui debentur, semper exprimere. Alioqui semper dicendum esset: *Oblitus sui, quòd coram*

coram Deo Optimo Maximo, infinito, æterno, immenso, omnipotente staret: Vel, quòd coram Rege Serenissimo, potentissimo, invictissimo, mansuetissimo staret. Quod ridiculum est. Habent isti tituli suum locum; sed nò semper usurpandi sunt. Addo, Athanasium a libi non neglexisse titulos, qui Romano Episcopo debentur. Nam Apolog. 2. contra Arianos, vocat *Romanum Pontificem*. In epist. ad Marcum, *Sancta Romana & Apostolica Sedes, atque univversalis Ecclesia Papam*. Et in epist. ad Felicem II. *Beatissimum Patrem*. Et alibi aliter.

49. Tertia objectio est similis præcedenti. Nam qui recenset præcipuos scriptores sui temporis, non semper debet habere rationem dignitatis personarum; sed aliquando etiam doctrinæ, vel ætatis, vel famæ & existimationis, vel librorum qui ab unoquoque editi sunt. Et tu, Antoni, si hoc tempore texeres Catalogum scriptorum hujus seculi, quem primo loco ponendum statueres? An Regem Angliæ, quia Rex est? Liceret quidem. Sed cur non similiter liceat præponere vel Baronium, propter cognitionem historiæ: vel Bellarminum, propter doctissimos controversiarum tomos, qui toto orbe notissimi sunt: vel Christophorum Clavius, ob insignem peritiam rerum Mathematicarum: in quibus excelluit, vel aliquem alium in suo genere celeberrimum?

IX. OBJECTIO.

Ex Basilio.

50. **E**X Basilio epist. 77. ad Occidentales, producis hæc verba: *Sive Caput vos ipsos Ecclesia universalis reputatis; non potest dicere pedibus caput, Non est mihi opus vobis: sive in reliquum vos Ecclesiasticorum membrorum ordinem locatis, nō potestis nobis dicere, qui in eodem vobiscum corpore constituti sumus, Non estis nobis necessary. Nā & manus mutuam inter se operam necessariam habent; & pedes mutuo sese firmant; & oculi per concordiam habent, quòd objecta clare & dilucide apprehendunt. Nos quidem nostram imbecillitatem agnoscimus, & vestram av. de concordiam requirimus.* Hæc verba interpretaris ironice à Basilio dicta esse, contra fastum Pontificis, hoc sensu. Sive, ut vos vanè prætenditis, estis Caput, sive, ut est veritas, membra cum alijs, debetis nobis ex charitate succurrere. Respondeo. Basilius nō scribit ironicè, sed seriò. Scribit autem Damaso Pontifici Romano, & alijs Episcopis Occidentalibus. Et quidem ad Damasum referri debent illa ipsius verba: *Sive Caput vos ipsos universalis Ecclesia reputatis.* Ad reliquos verò Episcopos ista: *Sive in reliquum vos Ecclesiasticorum membrorum ordinem locatis.*

51. Sed iterum sic urges: Basilius epist. 50. ad Athanasium data, laudat Meletium Antiochenum, & dicit dignum esse, qui præsit universo Ecclesiæ corpori. Hoc nō diceret, si putaret Romanum Pontificem præesse universo Eccle-

Ecclesię corpori; alioqui injuriam illi faceret, præferendo illi Meletium Antiochenum. Et maximè urges illam particulā, qua utitur Basilius: *Ut universo, ut ita dicā, Ecclesia corpori ipse præsit.* Quid sibi vult illud, *Ut ita dicam:* Hoc vult inquis, in Ecclesia talē præfulem nō dari.

52. Respondeo. Tria dicit Basilius. Primò, Ecclesiam Orientalem in varias partes dissectam esse. Quod verissimum est. Nam alia pars erat Arianorum: alia Apollinaristarum: alia Catholicorum, qui rursus inter se erant divisi. Et alij quidem adhærebant Meletio (inter quos Basilius) alij Paulino. Secundò dicit, Meletium fore aptissimum, qui inter partes concordiam & pacem constituat, & omnes ad unitatem redigat. Tertiò, totum Orientem optare, ut Meletius præsit universo corpori Ecclesię Orientalis. Itaque ista particula, *Ut ita dicam,* non significat, nullum dari, qui præsit universo corpori Ecclesię, (quia constat Pontificem præesse) sed significat, se non loqui de universo corpore Ecclesię absolutè sed de universo corpore Ecclesię Orientalis.

XII. OBJECTIO.

Ex Nazianzeno.

53. **N**Azianzenus, inquis, in orat. funebri in Basilium, commemorans turbas in Basilium excitatas, facit etiam occidentales Episcopos earum autores, vel saltem cooperatores. Verba Nazianzeni sunt hæc: *Aderant &*

ex Occidentalibus Episcopis quidam, qui Ecclesias, quotquot essent orthodoxæ, ad se pertraherant. Hinc ita concludis: Si Romani Ecclesia erat primum Caput Occidentalium, & Domina cæterarum omnium Ecclesiarum, cur arte & officijs, Orientales Ecclesias ad se trahit & allicit? Hoc erat Primatum artificio sibi comparare, non exercere.

54. Respondeo. Non intelligis, quæ dicis. Historia rei gestæ sic habet. Cæsareæ in Cappadocia vacabat sedes Archiepiscopalis. Cæsarienses petebant Basilium. Basilium fugit. Interea per vim electus & creatus est Eusebius. Ægrè hoc tulerunt Monachi, quibus præerat Basilium, qui maluissent Basilium creati Episcopum, non Eusebium. Ob hanc causam Eusebius fuit offensus Basilio. Cùm hoc adverterent Monachi, moliti sunt facere defectionẽ ab Eusebio. Quod erat illis facile ob tres causas, quas Nazianzenus loco citato commemorat. 1. Quia Basilium, cujus causam agebant Monachi, erat magni nominis & existimationis apud populum. 2. Magna pars populi erat aliena ab Eusebio, tanquam non legitime electo. 3. Eodem tempore erant ibi Episcopi Occidentales, Eusebius Vercellensis, & Lucifer Calaritanus, qui propter fidem Catholicam, à Constantio Imperatore Ariano fuerant in exilium missi, & post mortem Constantij, liberati ab exilio, venerant in Cappadociam, ibique autoritate Liberij Papæ, reformabant Ecclesias Arianas, & Catholicas

in

in fide conservabant. Illi igitur adhærebant meliori parti factionis. Hæc omnia patent, partim ex Nazianzeno, loco citato, partim ex Baronio, tom. 3. & 4. Annalium, Anno Christi 360. & seqq.

55. Hinc sequitur. 1. falsum esse, quod tu asseris, Episcopos occidentales fuisse vel auctores, vel cooperatores turbarum, quæ in Basiliæ erant excitatæ: Non enim agebant contra Basiliæ, sed contra Eutebium. 2. Nullam esse hanc tuam consequentiam: Episcopi Occidentales, auctoritate Romani Pontificis, pertrahebant ad se Ecclesias Orthodoxas, ne inficerentur: Ergo Romanus Pontifex non habebat Primatum totius Ecclesiæ. Hæc melior est: Romanus Pontifex per suos Legatos fuit sollicitus de Ecclesijs Orientalibus, vel ad fidem reducendis, vel in fide confirmandis: Ergo putavit ad se pertinere curam illarum Ecclesiarum.

XIII. OBJECTIO.

Ex Hieronymo & Damaso.

56. **H**ic multa objicis. Primo, quòd Hieronymus præfatione in Evangelia, nullum alium titulum tribuerit Damaso Pontifici, quam *Summi Sacerdotis*. At omnes Episcopi vocantur summi Sacerdotes apud Hieronymum lib. contra Luciferianos, & lib. de ordinibus Ecclesiast. Ergo nihil peculiare agnovit in Pontifice, præ alijs Episcopis. Respondeo.

spondeo. Mirus disputator es. Paulo antè sic concludebas : Athanasius Pontificem vocat Episcopum : Ergo. Nunc sic: Hieronymus Pōtificem vocat summū Sacerdotem : Ergo. Sed quid ergo ? Dicam: Ergo Marcus Antonius ineptè disputat. Quasi verò, qui Pontificem vocat Episcopum aut summum Sacerdotem, per hoc neget, esse Caput totius Ecclesiæ. Etiam Christus in Scriptura vocatur Episcopus & Sacerdos, (1. Pet. 2. 25. & Hebr. 7. 11.) An ideò cōcludes; non esse Caput Ecclesiæ? Nihil minus. Imò & Caput Ecclesiæ, & Episcopus, & Sacerdos est. Non n. pugnant hæc inter se. Nec unū derogat auctoritati alterius. Deinde falsum est Hieronymum omnes Episcopos vocare summōs Sacerdotes. Certè in lib. contra Luciferianos, quem tu citas, id non invenio. Alter liber de ordinibus Ecclesiasticis, quem etiā adducis, non est Hieronymi, sed alterius, ut bene observavit Erasinus in censura, & Cardinalis Bellarminus in lib. de Script. Ecclesiasticis.

57. Secundò objicis: Hieronymus in Epist. 85. ad Evagrium sic scribit : *Nec altera Romana urbis Ecclesia, altera totius orbis existimanda est. Et Gallia, & Britannia, & Africa, & Persis, & Oriens, & India, & omnes barbara nationes, unum Christum adorant, unam observant Regulam veritatis. Si auctoritas quaritur, orbis major est urbe. Ubicunq. fuerit Episcopus, si ve Roma, si ve Euchuby, si ve Constantinopoli, si ve Rhegy, si ve Alexandria, si ve Thavis, ejusdem meriti, ejusdem est & Sacerdoty.* Hæc verba, inquis, plurimū pugnant cum

cum Papatu Romano. Et qui hæc nunc diceret, statim Romæ hæreticus conclamaretur, & patibulis destinaretur.

58. Respondeo. Non pugnant cum Papatu. Nec Hieronymus ibi loquitur de Papa, sed de Diaconis Ecclesiæ Romanæ, qui quòd pauciores & ditiores essent, quàm Sacerdotes & Episcopi, per quendam abusum, absente Pontifice volebant illis præferri. Contra hunc abusum disputat Hieronymus. Et sic argumentatur: Quod fit in omnibus Ecclesijs orbis Christiani, debet etiam Romæ fieri: At in omnibus Ecclesijs Presbyteri præferuntur Diaconis: Ergo etiam Romæ id debet fieri. Nec divitiarum in hac re habenda est ratio. Hic sensus colligitur ex ipso Hieronymo. Sic n. scribit: *Audio quendam in tantam erupisse vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, id est, Episcopis, anteferet.* Deinde post verba, à te citata, sic pergit: *Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem vel inferiorem Episcopum non facit.* Et infra: *Caterum, etiam in Ecclesia Roma, Presbyteri sedent, & stant Diaconi: licet paulatim incrementibus vitiis, inter Presbyteros, absente Episcopo, sedere Diaconum viderim: & in domesticis convivis, benedictiones presbyteris dare. Discant, qui hoc faciunt, non se recte facere, & audiant Apostolos: Non est dignum, ut relinquentes verbum Dei, ministremus mensis. Sciant, quare Diaconi constituti sint. Legant Acta Apostolorum: recordentur conditionis suæ.* Et cætera, quæ sequuntur.

59. Igitur objectio, quam facis ex hoc lo-

co Hieronymi, talis est: Diaconi Romanæ ecclesiæ, per abusum præferebant se Presbyteris, quod non debebant facere, quia in alijs ecclesijs Christiani orbis, Presbyteri præferuntur Diaconis: Ergo Pontifex Romanus nõ habet Primatum Ecclesiæ. Vel certè talis: Orbis Christianus major est urbe Roma: Ergo Romanus Pontifex non est Caput Ecclesiæ. Vel talis: ecclesia Romæ non adorat alium Deum, nec observat aliam regulam veritatis, quam aliæ ecclesiæ per orbem dispersæ: Ergo Pontifex non est Caput ecclesiæ. Vel denique talis: Major est autoritas totius ecclesiæ, quàm solius Romanæ particularis. Ergo. Omnes hæ consequentiæ ineptæ & Apostolicæ sunt.

70. Tertiò objicis: Hieronymus ibidem, comparans ecclesiam Romanam cum ecclesia, quæ erat in Bethlechem, ait multo augustiorem locum esse, qui Salvatorem mundi, quàm qui fratris genuit parricidam. At si Romana ecclesia esset Sedes Monarchiæ ecclesiasticæ, non deberet illi præferri Bethlechem. Respondeo. Hieronymus non confert inter se ecclesias illas, quoad dignitatem & jurisdictionem, de qua nos hîc disputamus: Sed quoad sanctitatem locorum, in quibus erectæ & fundatæ sunt. Et ait, augustiorem esse locum Bethlehemiticum, in quo Christus Sanctus Sanctorum, natus est; quàm Romanum, in quo Romulus, parricida fratris, genitus est. Quis hoc negat?

61. Quattò objicis: Hieronymus in Apologia contra Jovinianum, de Damaso Pontifice, qui scripta ipsius contra Helvidium laudaverat, sic scribit: *Num vir egregius & eruditus in scripturis, & virgo, Ecclesie virginis Doctor, aliquid in illo sermone reprehendit?* Hic, inquis, non erat locus tacendi de Papatu; sed omnino addidisset, *Vicarius Christi, & totius Ecclesie gubernator*, si credidisset hos titulos Pontifici convenire. Respondeo. Adhuc nescis, Antoni, ubi sit locus tacendi aut loquendi. Hieronymus volebat ostendere librum suum, quem scripserat contra Helvidium de perpetua Beatae Mariae virginitate, à Damaso, tanquam viro docto, lectum & approbatum esse. Nec quicquam in eo repertum, quod scripturis divinis esset contrarium. Quid hinc opus erat mentionem facere de jurisdictione?

62. Quintò objicis: Damasus Pontifex apud Ambrosium, Epistol. 79. fatetur se inferiorem esse Concilio Capuensi; dum non audet judicare causam Bonosi Episcopi, quæ à dicto Concilio judicanda ei fuerat commissa. Respondeo. Causa Bonosi non fuit Damaso judicanda commissa, ut tu fingis; sed aliis iudicibus, ut patet ex epistola citata, quæ sic incipit: *Accepi literas vestras (scribit Theophilo & Anylio quibus vel pro veritate, vel pro modestia, nostram sententiam sciscitari voluistis. Sed cum hujusmodi fuerit Concilij Capuensis iudicium, ut finitimi Bonoso atq; ejus accusatoribus, iudices tribuerentur, & præcipue Macedones, qui cum E-*
piscopo

piscopo Thessalonicensi de ejus factis cognoscerent, a vertimus, quod nobis judicandi forma competere non posset. Igitur Concilium Capuense non commiserat Damaso Pontifici, sed alijs iudicibus causam Bonosi cognoscendam & iudicandam, præsertim Macedonibus. Porro inter illos iudices, erant etiam Theophylus & Anysius, ut constat ex verbis sequentibus: Vestrum est igitur, qui hoc recepistis iudicium, sententiam ferre de omnibus: Nec refugiendi vel elabendi, vel accusatoribus, vel accusato copiam dare. Vicem enim synodi recepistis, quos ad examinandum synodus elegit.

63. Hinc duo colligo, quæ contra te sunt. Unum est, quod Theophilus & Anysius, qui erant duo ex iudicibus à Concilio Capuensi constitutis, voluerint Damaso Pontifici deferre sententiam iudicandam: Quod non fecissent, nisi agnovissent illum pro supremo iudice, ad quem liceret confugere. Alterum est, quòd Damasus non dixerit, se non posse iudicare ex defectu jurisdictionis, ut tu falsò interpretaris; sed non convenire seu congruere, ut ipse iudicet, cum jam alij competentes iudices à concilio designati sint. Quod perinde est, ac si dicat Imperator: Cùm Respublica Colonensis designaverit certos iudices in causa N. Baronius, ibi habitantis, non competit, ut ego iudicem. Sic enim servatur ordo & pax in Imperio. Nam si illi rectè iudicaverint, bene quidem: Sin malè, ad me potest fieri appellatio. Quid hinc colligis, Antoni? Nihil certè

certè contra nos. Nec plus contra Pótificem,
quàm contra Imperatorem.

XIV. OBJECTIO.

Ex Socrate.

64. **E**X Socrate lib. 4. c. 24. profers hæc verba: *Damasus Liberio in Episcopatus Romani administratione successit. Unde Ecclesia Romana status forte fortuna magnopere cõturbatus fuit.* Ex quibus colligis hæc duo. 1. Quòd dixerit illum successisse in administratione, non totius Ecclesiæ, sed Romani Episcopatus. 2. Quòd dixerit, statum Romanæ, non autem universalis Ecclesiæ, turbatum esse. Resp. Miserit me tui, si putas hujusmodi nugis, te aliquid lectori persuadere posse. Jam suprà dixi, non omnia ubique dicenda aut scribenda esse. Scripsit Socrates, quod re ipsa contigerat. Scripsit, inquam, Damasum successisse Liberio in Episcopatu Romano. Quod verissimum est. Scripsit ex ea successione ortam fuisse aliquam turbationem in urbe Roma. Quod etiam verissimum est, quia Ursinus seu Ursicinus volebat succedere. Quid opus erat addere, successisse illum in gubernatione totius Ecclesiæ? Aut ex ea successione ortam fuisse turbationem in tota Ecclesia? prius fuisset superfluum; posterius falsum. Cùm enim constet, eum qui succedit in Episcopatu Romano, succedere etiam in Primatu Ecclesiæ; superfluum est expressè hoc addere. Similiter, cum ex successione Damasi non fuerit turbatus totius

Ecclesiæ status, sed illa turbatio intra urbem Romam se continuerit; falsò scripsisset Socrates, si illam turbationem toti orbi Christiano tribuisset.

XV. OBJECTIO.

Ex Ambrosio.

65. **EX** Ambrosio lib. 3. de Sacrament. cap. 1. Adducis hæc verba: *Non ignoramus, quòd Ecclesia Romana hanc consuetudinem (lavandi pedes post Baptismum) non habeat, cujus typum in omnibus sequimur, & formam. Hanc tamen consuetudinem non habet, ut pedes lavet. Et paulo pòst: In omnibus cupio sequi Romanam Ecclesiam: sed tamen & nos homines sensum habemus. Ideo quod alibi rectius servatur, & nos rectè custodimus. Ipsum sequimur Apostolum Petrum, ipsius inhaeremus devotioni. Ad hoc Ecclesia Romana quid respondet? utiq; ipse auctor est nobis hujus assertio- nis Petrus Apostolus, qui Sacerdos fuit Ecclesiæ Romanæ.* Hæc verba, inquis, destruunt Papatum Romanum. Respondeo. Vide, ne destruas tuum cerebrum; si ex quolibet velis quidlibet efficere. Certè si ad formam revoces argumētum, quod hîc latet, erit ejusmodi: Romana Ecclesia non servat ceremoniam lotionis pedum, quam servant aliæ Ecclesiæ: Ergo Pontifex non habet Primatum Ecclesiæ. Concessio antecedente, nego consequentiam. Quomodo probas? non video, nisi prius probes hæc duo. 1. Quælibet ceremonia Ecclesiastica, quæ servatur in una Ecclesia, debet etiam in alijs

lijs servari. 2. Si Episcopus Romanus non servat Romæ aliquam ex ceremonijs Ecclesiasticis, quæ alibi servatur, non potest habere Primatum Ecclesiæ. Si hæc duo probaveris, circumspiciam de alia responsione.

XVI. OBJECTIO.

Ex Augustino.

66. **H**anc si proponis: Augustinus lib. de unico Baptismo contra Petilianum, cap. 24. faciens comparationem inter Stephanum Romanum, & Cyprianum Carthaginensem Episcopum, nec non inter ipsas Ecclesias Romanam, & Carthaginensem; ne ullam quidem umbram ponit Romani Papatus, sed summam æqualitatem. Sæpissimè verò (ut lib. 2. contra Cresconium Grammaticum cap. 37. & lib. de unitat. Eccles. cap. 12.) ubi singulares Ecclesias commemorat, & ex quibus universalis Ecclesia conflatur, Romanam facit unam ex illis, & singulares omnes Ecclesias membra tantum dicit esse unius Ecclesiæ toto orbe diffusæ: nullam verò excipit è numero membrorum, ut eam faciat Caput. Hæc tu Antonius. Deinde sic concludis: Romanam Ecclesia est membrum, non Caput, teste Augustino: Ergo Episcopus Romanæ Ecclesiæ est etiam membrum, non Caput.

67. Resp. Multis modis hæc peccas. Primum, quia Augustinus propriè nõ instituit comparationem inter Stephanum & Cyprianum.

sed solum dicit, illos duos inter se dissentire in controversia de Baptismo hæreticorum. Verba Augustini sunt hæc : *Duo erant eminentissimarum Ecclesiarum, Romana scilicet & Carthaginensis Episcopi, Stephanus & Cyprianus, ambo in unitate Catholica constituti. Quorum Stephanus Baptismum Christi in nullo iteradum esse censebat, & hoc facientibus graviter succensebat. Cyprianus autem in hæresi vel schismate baptizatos, tanquam non habentes Baptismum Christi, baptizandos in Ecclesia Catholica existimabat. Quid hinc colligis? Nihil ad nostrum propositum.*

68. Secundò, falsum est, Augustinũ inter Stephanum & Cyprianum ponere summam æqualitatem. Nam expressè ait, Stephanum statuisse pœnã excommunicationis in omnes qui baptizatos ab hæreticis rebaptizarent. Cũ ergo Stephanus, inquit, non solum non rebaptizaret hæreticos, sed etiam hoc facientes, vel ut fieret, decernentes, excommunicandos esse censeret, sicut aliorum Episcoporum, & ipsius Cypriani litera ostendunt; tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit. At hinc sequitur, Stephanum habuisse potestatem excommunicandi alios Episcopos, quam Cyprianus non habuit.

69. Tertiò falsum est, Augustinum sæpissimè, & præsertim duobus locis à te citatis affirmare omnes Ecclesias particulares esse membra unius Ecclesiæ toto orbe diffusæ. Uno tantum loco id affirmat, nempe lib. de unitat. Eccles. c. 12. At altero loco, nempe lib. 3. contra Cresconium c. 37. commemorat quidẽ mul-

tas Ecclesias particulares, sed nullã facit mentionẽ membrorum aut Capitis. Igitur & fraudulenter citas illum locum, ad decipiendum lectorem; & temerè ponis illam particulam, *sapissimè*. Sed esto; Sapissimè id affirmat. An ideo valebit hæc consequẽtia: Omnes Ecclesiæ particulares sunt membra unius Ecclesiæ toto orbe diffusæ: Ergo nulla illarum est Caput? Nõ magis quàm hæc: Ergo nulla illarum est pes aut manus. Nisi putes, caput non esse membrum corporis. Tã est membrum, quàm pes aut manus. Sed præcipuum inter mēbra,

70. Sed etiam hoc demus, Ecclesiã Romanam particularem non esse Caput. Insuper & hoc, Pontificem Romanum, quatenus præcisè est Episcopus Romanæ Ecclesiæ particularis, non esse Caput totius Ecclesiæ. Nõ sequitur tamen, eundem Pontificem, quatenus illi totius Ecclesiæ cura cõmissa est, non esse Caput totius Ecclesiæ. Accipe simile exemplum. Matthias Imperator non est Caput imperij, quatenus præcisè est Archidux Austriæ; sed quatenus gubernatio Imperij ab Electoribus illi tradita est. Et Marcus Antonius non fuit Caput Ecclesiæ Spalatensis, quatenus erat Doctor Theologiæ; sed quatenus erat Archiepiscopus illius Ecclesiæ.

XVII. OBJECTIO.

Ex Concilio Africano.

71. **E**Am sic proponis: Episcopi Africani, tempore Innocentij Papæ, in concilio Afri-

cano cap. 72. statuerunt hunc canonem: *Quicumque non communicant in Africa, si in transmarinis ad communicandum obrepserint, jaclurâ clericatus excipiant.* Ubi per transmarinos, ais potissimum intelligi Ecclesiam Romanam. Ex quo infero, Episcopos Africanos prohibuisse, ne quisquam, qui in Africa sit excommunicatus, appellet ad Romanam Ecclesiam, vel Pontificem, ut ibi ad communionem recipiatur. Eos igitur non agnovisse Primum Pontificis.

72. Respondeo. Male interpretaris canonem. Non enim prohibet legitimam appellationem ad Pontificem; neque etiam negat Primum Pontificis; sed tantum decernit pœnam in eos, qui cum in Africa sint repulsi à cõmunionem, postea per fraudem & subreptionem communicant in Ecclesiis transmarinis, quasi excommunicati non essent. Vel certè, per occultam fallaciam obtinent absolutionem ab excommunicatione, quasi injustè excommunicati essent. Quod constat ex epistola Africanorum Episcoporum ad Cœlestinum Papam, ubi sic habent: *Præfato debite salutationis officio, impendio deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes, non facilius admittatis.* Ubi notandum est, quòd cum debita observantia deprecantur Pontificem, nõ quidem, ut venientes ex Africa nullo modo, admittat ad communionem; sed ut non faciliè admittat, nisi causa prius cognita & examina-

ta. Aliunde autem constat, quòd agnoverint ipsius Primatum in Ecclesia universalì.

73. Reliquæ objectiones, quæ sequuntur, sunt triplices. Quædam non egent solutione. Aliæ solvi possunt ex ijs, quæ dicta sunt. Aliæ denique solutæ sunt à Cardinale Bellarmino. Neque necesse est, solutiones ex Bellarmino huc transcribere. Lege ibi si vis. Et si bonæ sunt, acquiesce: Sin malæ, tuo iudicio, ostende vitium, & succurramus.



CAPUT PRIMUM.

An singuli Episcopi cum plena potestate in solidum regant Ecclesiam?

1. **T**U affirmas lib. 2. cap. 1. n. 9. his verbis: *Episcopi omnes, simul & in solidum, eandem regunt Ecclesiam, singuli cum plena potestate.* Et n. 13. *Episcopi dicuntur Apostolorum Successores, quia in eorum officio, quod erat Apostolorum omnium commune, succedunt omnes omnibus in solidum.* Et n. 15. *In potestate universali, succedunt Episcopi, non modò universi, sed etiam singuli.* Et lib. 3. c. 8. n. 14. *Docuimus, unumquemq; Episcopum jure divino esse universalem: & teneri ex officio, & ex charitate, Ecclesia Christi, in quacunq; parte illius illius opera indigeat subvenire.*

2. Theologi Parisienses censent has tuas propositiones esse hæreticas, schismaticas, & unitatis Ecclesiæ subversivas. Et sic est. Primò, quia repugnant unitati Capitis, quod Christus in Ecclesia instituit. Nam si singuli Episcopi cum plena potestate succedunt omnibus Apostolis in solidum; Ergo omnes æqualem habent potestatem cum Petro & Põtificè, quod est hæreticum & hætenus refutatum.

3. Secũdò, si singuli Episcopi, jure divino, habet plenam potestatem regendi Ecclesiam in solidum, & non hanc aut illã tantum particularem, sed Ecclesiam toto orbe diffusam, ut

ru intelligis; Jam tibi, ex concessione juris divini, licitum est, cum plena potestate regere omnes Anglicanas Ecclesias in solidum; nec alij Episcopi Anglicani, jure divino poterunt tibi obsistere. Experire, an ita sit. Docebunt ipsi te aliam, ut opinor, Theologiam, si hanc potestatem usurpaveris. Nec est, quòd obtendas, te loqui de plena potestate in habitu, non in actu. Alibi quidem sic distinguis: Sed hoc loco non item. Nam illa tua verba: *Singuli regunt Ecclesiam cum plena potestate*, non significat habitum, sed actum. Alioqui debuisses sic dicere, *Singuli habent plenam potestatem regendi*. Nunc dicis, *Singuli regunt*. At regere significat actum, non habitum.

4. Tertio, si singuli, ut tu loqueris, non solum ex charitate, sed etiam ex officio tenentur subvenire cuicunq; Ecclesie indigenti; planè sequitur, te etiam ex officio ad hoc teneri. Cur ergo ex obligatione officij, quâ obstrictus es, ex tua sententia, nõ subvenis Ecclesijs Dalmatiae & Croatiae, quæ tuo judicio indigent meliori instructione? Cur fugisti ex illis partibus, & Ecclesias indigentes reliquisti sine Pastore? Si esses bonus pastor, usurpares illud Christi: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*. Nunc, quia mercenarius es, usurpas illud, quod sequitur: *Mercenarius autem, & qui non est pastor, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit*. Videatur Christus de te locutus esse. Et tu teipsum damnas, si cum tentaris ex officio subvenire, non subvenis.

5. Quartò, si verum est, unumquemq; Episcopū *jure divino esse universalem*, ut hic disertè afferis; quare tam graviter insectaris hūc titulū in Petro & Pontifice? Neutrum vis dici Episcopum universalem. Sic n. scribis lib. 4. c. 7. n. 22. *In Ecclesia nullus est Episcopus universalis.* Et ibidem: *Qui se dicit Episcopum Universalem, reliquis omnibus Episcopis, & nomen & honorem auferit.* Et multa alia in eundem sensum. De quibus suprā dictum est, lib. 3. c. ult. object. 4.

CAPUT SECUNDUM.

An Ministri Ecclesia jure teneantur ad Cœlibatum?

1. **T**U negas c. 10. in titulo Capitis, his verbis: *Sacros Ministros ad cœlibatum jure non teneri.* Qui titulus, cum sit negativus, perinde valet; ac si dicas, sacros ministros ad cœlibatū nullo jure, nec divino, nec humano teneri. Quod an verum sit, discutiendum est. Ut tamen certo ordine progrediamur, ostēdam.

1. Sacerdotes veteris testamenti divino jure obligatos fuisse ad continentiam, nō quidem perpetuam, sed pro certo tempore. 2. Apostolos servasse perpetuam continētiam, non quidem jure divino, sed partim consilio Christi, partim sua sponte. 3. Eisdem Apostolos suavisse, & decrevisse, ut alij deinceps Ministri Ecclesiæ servarent eandem continentiam. 4. Eam deinceps servatam esse. 5. Postea etiam lege Ecclesiastica præscriptam, non semel, sed sa-

plus. 6. Hanc legem Ecclesiasticam aliter seruari in Ecclesia Occidentali, aliter in Orientali. Denique ostendam in tuis verbis aliquot falsitates & contradictiones.

2. PRIMA CONCLUSIO. Sacerdotes veteris Testamenti, jure divino tenebantur ad aliquam continentiam ab usu matrimonij, præsertim pro ijs diebus, quibus Deo in tabernaculo vel templo ministrabant. Hoc tu negas, cap. 10. num. 78. post medium. Sed scripturæ & Patres mecum sentiunt. Ex scripturis habemus aliquot testimonia. Primum Exod. 19. 22. *Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur*, id est, abstineant ab uxoribus. In eo enim potissimum consistebat sanctificatio, ut patet ex eodem capite. Nam versic. 10. dicebat Deus, ad Moysen: *Vade ad populum, & sanctifica illos hodie & cras, lauentque vestimenta sua.* Moyses autem intellexit illam sanctificationem de abstinentia ab uxoribus. Nam mox accedens ad populum, & explicans illi voluntatem Dei, dixit: *Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus vestris.* Ubi notandum est, illam sanctificationem, seu abstinentiam ab uxoribus, de qua agitur citato capite, tam populo, quàm Sacerdotibus fuisse præceptam; quia tam populus, quàm Sacerdotes debebant audire promulgationem legis Mosaicæ, & ad illam toto biduo se disponere per abstinentiam ab uxoribus, & per lotionem vestimentorum, & castrorum purgationem. Speciali tamen titulo præceptam fuisse Sacerdotibus,

tibus, pro omni eo tempore, quo fungebantur officio sacerdotali; sive orando pro populo, sive hostias & sacrificia offerendo, sive aliquod aliud sacrum ministerium exhibendo. Hoc enim significatur illis verbis: *Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur.* Nam tunc dicebantur accedere ad Dominum, quando vel erant oraturi vel sacrificium oblaturi, vel aliquid simile facturi. Nosti hæc.

3. Secundum testimonium 1. Reg. 21. 1. *Venit autem David in Nobæ ad Achimelech Sacerdotem.* Et infra: *Respondens Sacerdos ad David, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum: Si mundi sunt pueri, maxime à mulieribus.* Et respondit David Sacerdoti; & dixit ei: *Equidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudius tertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta. Porro via hæc polluta est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis.* Hic vides, non licuisse comedere panem sanctificatum, nisi præmissa sanctificatione, quæ in duobus consistebat. Primò ac potissimum in abstinentia ab uxoribus. Secundò in purificatione corporis, si quid maculæ in via contraxisset. Et certè, si homines laici debebant hoc modo sanctificari, multo magis sacerdotes; quippe qui ad majorem puritatem, ratione status ac officij obligabantur.

4. Quod sic ulterius declaro. Duo hic præcepta distinguenda sunt. Unum quo laici prohibebantur comedere panes sanctificatos, vel ut alibi vocantur, panes propositionis. De quo

quo Christus, Matth. 12. 3. *Non legistis, quid fecerit David, quando esuriit, & qui cum eo erant? Quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, nisi solus Sacerdotibus?* Alterum, quo jubebantur abstinere ab uxoribus, qui manducaturi erant hujusmodi panes. De hoc quaestio est, quosnam obligaverit? Tu dicis obligasse solos laicos. Ego contra, obligasse etiam Sacerdotes. Et quidem per se, & primario, Sacerdotes. Quod tripliciter probo. Primò, ex dictis, quia Sacerdotes tenebantur ad majorem puritatem, quàm laici. Secundò, quia esus panum propositionis per se pertinebat ad solos Sacerdotes: Ergo etiam sanctificatio requisita ad esum istorum panum, per se pertinebat ad solos Sacerdotes. Unde sicut laici non poterant comedere hujusmodi panes, nisi tantum per accidens, & in casu necessitatis; ita non tenebantur se sanctificare pro comestione, nisi tantum per accidens, & in casu necessitatis. Tertiò, quia si præceptum de abstinencia ab uxoribus pertinisset ad solos laicos, ut tu vis; vel fuisset illis datum à Deo, antequàm Achimelech loquebatur cum Davide, vel ab ipso Achimelech cum jam loqueretur cum ipso. Non prius, quia nusquam legimus in scriptura, quod Deus dederit tale præceptum pro solis Laicis, antequàm Achimelech loquebatur cum Davide. Nec posterior, quia Achimelech, cum dicebat

cebat Davidi, *Si mundi sunt pueri, maxime à mulieribus*; non dabat novum præceptum, sed supponebat, jam antè à Deo datum esse. Ac non erat aliud à Deo datum, nisi quo Sacerdotes obligabantur abstinere ab uxoribus, quotiescunque fungerentur officio sacerdotali, seu, quotiescunque aliquid facti ministerij, si-ve orando, si-ve hostias offerendo, si-ve panes sanctos comedendo, peragerent. Itaque sensus Achimelech est hic: Vobis quidem non licet comedere panes sanctificatos, sed solis Sacerdotibus: Si tamen vultis propter præsentem necessitatem comedere, cum alij panes haberi non possint, necesse est, vos ea puritate & sanctitate id præstare, qua Sacerdotes facere consueverunt, qui abstinēt ab uxoribus, quotiescunque hujusmodi panes comesturi sunt. Idem ergo à vobis exigo.

5. Tertium testimonium 1. Paralip. 24.7. *Exiit autem sors prima Jojarib, secunda Jedei, tertia Harim, &c.* ubi recensentur viginti quatuor familiæ Sacerdotum, qui per vices debebant ministrare in domo Domini, juxta illud Luc. 1.5. *Fuit Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia.* Et paulo post: *Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis sue ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotij, sorte exijt, ut incensum poneret.* Constat autem, Sacerdotes, quando ministrabant Domino secundum vicem suam, debuisse multos dies perseverare in ministerio. Nam ibidem verſ. 23. de Zacharia sic legimus, *Et factum est, ut im-*

pleti

pletisunt dies officij ejus, abiit in domum suam. Plerique autores putant fuisse octo dies unicuique, destinatos, nempe à Sabbatho usque ad Sabbathum, ut Josephus, Ambrosius, Theophylactus, & alij apud Maldonatum in Commentario illius loci. Et colligitur ex illo 2. Paralip. 23. 8. *Fecerunt ergo Levitæ, & universus Judæ iuxta omnia, quæ præceperat Jojada Pontifex: & assumpserunt singuli viros, qui sub se erant, & veniebant per ordinem Sabbathi cum his, qui impleverant Sabbathum, & egressuri erant.*

6. Igitur Sacerdotes per octo dies, relictis domibus & uxoribus suis, permanebant in templo, & ibi ministrabant. Et quidem tempore sacrificij, erant in ea parte templi, ubi sacrificia offerebantur. Reliquo tempore, habitabant in atrio templi, in domunculis, ad id destinatis: quo non licebat uxores introducere. Unde consequens est, debuisse à cohabitatione uxorum abstinere. De qua re sic scribit Siricius Papa in epistola ad Himerium Tharacónensem Episcopum cap. 7. *Dicat mihi nunc, quisquis ille est sectator libidinum, præceptorque vitiorum, si æstimat, quòd in lege Moysis passim saceris Ordinibus à Domino laxata sint frena luxuriæ, cur eos, quibus committebantur sancta sanctorum, præmonet dicens: Sancti estote, quia & ego Sanctus sum Dominus Deus vester? Cur etiam procul à suis domibus, anno vicis suæ, in templo habitare iussæ sunt Sacerdotes? Hac videlicet ratione, ne vel cum uxoribus possent carnale exercere commercium, ut conscientia integritate fulgentes, acceptabile Deo*

munus offerrent Quibus etiam, expleto deservitionis suæ tempore, uxorius usus, solius successionis causa fuerat relaxatus, quia non ex alia, nisi ex tribu Levi, quisquam ad Dei ministerium, fuerat preceptus admitti. tom. 1. concil.

7. Idem, quod ad rem attinet, sentiunt alij Patres. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum, longè post medium: Nam & in veteri lege, qui pro populo hostias offerebant, non solum in uxoribus suis non erant, sed purificabatur ad tempus, ab uxoribus separati; & vinum & siceram non bibebant, quæ solent libidinem provocare.

8. Et Innocentius I. epist. 2. ad Victorium Rotomagensis Episcopum, c. 9. Præterea, quod dignum & pudicum, & honestum est, tenere Ecclesia omni modo debet, ut Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus suis non cocant, quia ministerij quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim: Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum, Dominus Deus vester. Nam si priscis temporibus, de templo Dei Sacerdotes anno vicis sua non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant, quibus utique propter sobolis successionem uxorius usus fuerat relaxatus: quanto magis hi Sacerdotes vel Levitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ servare debent, quibus vel Sacerdotium, vel ministerium, sine successione est, nec præterit dies, quæ vel à sacrificiis divinis, vel à Baptismatis officio vacent? (tom. 1. concil.)

9. Et Beda ad cap. 1. Luc. Hoc est, quod dixi, quod vicis sua tempore Pontifices, templi tantum officiis mancipati, non solum à complexu uxoribus, sed

sed ab ipso quoq; domorum suarum abstinerent ingressu: ubi nostri temporis Sacerdotibus, quibus semper Altari servire jubetur, perpetuum servanda castitatis exemplum datur. Quia n. tunc Sacerdotum ex stirpe Aaron successio quærebatur, necessario tempus substituenda sobolu procurabatur. At quia nunc non carnalis Successio, sed perfectio spiritualis inquiritur, consequenter Sacerdotibus, ut semper Altari queant assistere, semper ab uxoribus abstinendum, semper castitas observanda precipitur.

10. SECUNDA CONCLUSIO. Apostoli servarunt perpetuam continentiam, non quidem ex præcepto divino, sed partim ex cōsilio Christi, partim sua spōte ac proposito. Ac primò, quòd servaverint perpetuã continentia, constat ex illo Matth. 19. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis. Et infra: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, &c. Ex quo loco constat, Apostolos reliquisse omnia, quæ habebant. Ac proinde, qui antea habebant uxores, reliquisse etiam uxores; & qui antè habebant filios aut filias, reliquisse etiam filios aut filias. Et sic deinceps. Et Paulus, qui post alios Apostolos separatim vocatus est à Christo, de se scribit. 1. Cor. 7. 7. *Volo vos omnes esse, sicut me ipsum, id est, vellem seu optarem, si cōmodè fieri posset, vos omnes esse cœlibes & continentes, sicut ego sum. Et ibidem: Dico autem nõ nuptis & viduis: Bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego. Nempe, in statu continentia.**

ii. Quòd autè non servaverint continentiam ex præcepto divino, sed ex Christi consilio & propria voluntate, clarum est. Nullum enim extat præceptum divinum novi testamenti, quo vel Apostoli, vel alij Ecclesiæ ministri obligentur ad cœlibatū. Extat tamen consilium Christi, Matth. 19. 10. *Dicunt ei Discipuli ejus: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim Eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt. Et sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: Et sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat.* Hic ponit triplex genus continentium & abstinentium ab uxoribus. Nam aliqui à natura; alij à necessitate; alij à propria voluntate habent, quòd abstineant. Ad hoc tertium genus hortatur Christus, cum ait: *Qui potest capere capiat.* Et hoc Christi consilium, tanquam sanum & meritorium, propria voluntate amplexi sunt Apostoli.

12. TERTIA CONCLUSIO. Apostoli & suaferunt, & statuerunt, ut alij deinceps ministri Ecclesiæ servarent continentiam. Audi Paulum ad Tit. 1. 7. *Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: hospitalem, benignum, sobriam, justum, sanctum continentem.* Ubi inter cæteras virtutes, præscribit etiam continentiam, distinctam à sobrietate, id est; continentiam ab uxoribus, ut Divus Hieronymus rectè interpretatur.

13. Et 2. Timoth. 2. 3. *Labora sicut bonus miles*

les Christi Iesu. Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit. Alludit ad milites, qui ut placeant suo Imperatori, toti intenti sunt in bellum, & abstinent se ab omnibus curis secularibus, etiam ab uxoribus. Nam ut scribit Cornelius Tacitus lib. 14. & Dio. lib. 60. Olim prohibitum fuit militibus conjugium, ut tanto facilius vacare possent militiæ. Et similiter Tertullianus in exhortatione ad castitatem, docet suo tempore milites fuisse cœlibes, sicut etiam multi hoc tempore sunt, præsertim milites ordinis Teutonici, & alij, qui regulam certam profitentur. Vult igitur Apostolus, multo magis milites Christi, debere intētos esse in ministeriū divinum, & abstinere ab ijs omnibus, quæ hoc ministerium quocunq; modo impediunt. Maxime autem impedit usus matrimonij. Nā ut alibi loquitur idem Apostolus: *Qui cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi; quomodo placeat uxori, & diuisus est.*

14. Et I. Cor. 7. 5. *Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Ex quo loco D. Hieronymus ad cap. 1. Epist. ad Tit. sic argumentatur: *Si laicis imperatur, ut propter orationem abstineant se ab uxoribus coitu, quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas?* Et lib. 1. contra Iovinianum, longe post medium: *Si laicus, & quisunque fidelis orare non potest, nisi careat officio conjugali: Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia,*

facia, semper orandum est. Si semper orandum est, ergo semper carendum matrimonio. Similia habent Origenes Hom. 23. in Num. Epiphanius hæresi 19. Innocentius I. in epistola ad Exuperium, cap. 1. & alij.

15. Dices tortè, Apostolum quidem suasse continentiam, sed non præcepisse. Respõdeo. Certum est quod in hoc genere plus exegerit à Sacerdotibus, quàm à laicis. At à laicis dupliciter exegit continentiam. Primo per modum consilij & desiderij, 1. Cor. 7. 7. *Volo vos omnes esse, sicut me ipsum:* Secundò, per modum præcepti, ibidem vers. 5. *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi,* ut interpretantur Patres jam citati. Ergo per modum majoris cujusdam obligationis debuit exigere continentiam à Sacerdotibus. Quæ major obligatio exprimitur illis verbis: *Oportet Episcopum esse continentem.* Itè: *Laborasicut bonus miles Christi: Jesu.* Itè: *Quis sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui a. cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi quomodo placeat uxori, & divisus est.* Unde sic concludo: Tanta est obligatio Sacerdotum, ut abstineant ab uxoribus, quanta est ut serviant Deo & non mundo. At majori obligatione tenentur ad serviendum Deo, quam laici. Imo sicut ratione officij obligati sunt, ut se totos tradant servitio Dei, & nõ sint divisi: Ita ratione officij obligati sunt, ut abstineant ab uxoribus, & caueant divisionem.

16. Hęc ex Paulo. Accedit cõmune de-

cretum Apostolorum, quod habetur can. 27. inter canones Apostolorum, his verbis: *In nuptiis autem, qui ad clerum prouocati sunt, precipimus ut si voluerint, uxores accipiant: sed lectores cantoresque tantummodò.* Ubi nomine lectorum & cantorum, comprehenduntur et alij minores ordines, ut fateris c. 10. n. 6. *Est n. omnium par ratio.* Excipiuntur autem ij, qui sunt in maioribus ordinibus constituti, quibus non licet uxores accipere. Quod similiter fateris n. 8.

17. Habemus ergo sanctionem Apostolicam de cœlibatu clericorum, quam negare non potes. De qua loquuntur Patres Concilij Carthaginensis secundi, can. 2. ubi statuentes vel potius confirmantes legem Cœlibatus, addunt hanc rationem: *Ut, quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruaui Antiquitas, nos quoq; custodiamus.*

18. QUARTA CONCLUSIO. Continentia, quam Apostoli Ministris Ecclesie prescripserunt, statim in Ecclesia, tam Orientali, quam Occidentali, recepta & seruaata est. Hoc patet primo ex verbis concilij jam citatis: *Ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruaui Antiquitas.* Secundo, ex tua concessione Nam cap. 10. n. 3. sic scribis: *Ecclesia semper vel ab ipsis ipsius insunabilis, ut mox ostendam, in suis ministris plurimum amauit, commendauit, & etiam interdum precepit continentiam.* Et n. 9. ais, *fuisse decretum commune totius Ecclesie.* Nec opus est pluribus in re clara.

19. QUINTA CONCLUSIO. Subsecuta sunt varieg leges Ecclesiasticæ, quibus eadem
 conti-

continentia Ministris Ecclesiæ imperata est. Et quidem dupliciter. Primò, ut non liceat illis uxores ducere, post susceptos ordines. Secundò, ut si ante susceptos ordines duxerint uxores, & postea susceperint ordines, non liceat uti uxoribus, sed debeant perpetuam seruare cōtinentiam. Huiusmodi leges latæ sunt hoc ferè ordine. Primò à Concilio Elibertino (Anno Christi 313. aut 315. can. 33. *Placuit in totū prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis positis in ministerio, abstinere se à conjugibus suis, & non generare filios. Quod quicumque fecerit, ab honore clericatus exterminetur.* (tom. 1. concilior.)

20. Secundo à Concilio Carthaginensi secundo circa annum Christi 396. can. 2. *Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitie custodes, etiam ab uxoribus se abstineant.* Et ratio additur: *Ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruari uoluit Antiquitas, nos quoque custodiamus.* (tom. 1. concil.)

21 Tertiò, à Siricio Papa, (circa idē tempus) in Epistola ad Himerium Tharaconensem Episcopum cap. 7. *Plurimos Sacerdotes Christi atque Levitas, post longa consecrationis sue tempora, tam de conjugibus propriis, quam etiam de turpi coitu, sobolem didicimus procreasse, & crimen suum hac praescriptione defendere, quia in veteri testamento Sacerdotibus ac ministris generandi facultas legitur attributa.* Ecce, vocat crimen, quòd Sacerdotes Christi utantur proprijs uxoribus. Et illorum defensionem mox

sibi vendicent divina ministeria, neq; eos ad sacrificia fas sit admitti, qui exercent vel cum uxore carnale consortium &c. (tom. 1. concil.)

23. Quintò, à Concilio Agathensi (Anno Christi 506.) can. 9. *Placuit etiam, ut si Presbyteri vel Diaconi conjugati, ad thorum uxorum suarum redire voluerint, Papa Innocentij ordinatio, vel Sinicy Episcopi autoritas, qua est his canonibus inserta, servetur.* (tom. 2. concil.)

24. Sextò, à Concilio Aurelianensi tertio (An. Christi 537.) can. 7. *Clerici vero, qui cum uxores non haberent, benedictione suscepta, conjugia crediderint eligenda, qui volentes absq; ulla reclamatione in aetate fuerint legitima ordinati, cum ipsis mulieribus, quas acceperint, excommunicatione percellantur.* (tom. 2. concil.)

25. Septimò, à Cōcilio Aurelianensi quarto (Anno Christi 547.) can. 17. *Ut sacerdotes sive Diaconi, cum conjugibus suis non habeant communem lectum & cellulam, ne propter suspicionem carnalis consortij, religio maculetur. Quod qui fecerint, juxta priscos canones ab officio regradetur.* Omitto reliquos canones & decreta, quæ posterioribus seculis statuta sunt. Omitto testimonia sanctorum Patrum, quæ habentur apud Bellarminum & Coccium.

26. **SEXTA CONCLUSIO.** Lex continentia; seu cœlibatus, de qua hætenus dictum est, semper vigit in Ecclesia Occidentali [nisi quod in quibusdam forte locis particularibus aliquantulum fuerit neglecta, vt notat Gabriel Vazquez 3. par. disp. 248. cap 2.] At in orientali

orientali non item. Nam Græci, tametsi post susceptos ordines non soliti sint uxores ducere; tamen si antea duxerint, possunt ordines suscipere, & simul uxores retinere. Nec tenentur ab earum consortio abstinere, nisi tempore vicis suæ, sicut in veteri testamento factum est. Hæc illorum consuetudo, in qua differunt ab Occidentalibus, cœpit à tēpore sextæ Synodi generalis (aut circiter) & huc usque perseverat. Vide Vasquez ibidem.

27. Venio nunc ad tuas falsitates & contradictiones. Primo asseris in titulo cap. 10. *Sacros Ministros ad cœlibatum jure non teneri*. Falsum est, quia tenentur jure Ecclesiastico, quod in supradictis canonibus sancitum est. Deinde tibi ipsi contradicis. Nam in eodem capite n. 3. expressè dicis, *Ecclesiam præcepisse continentiam*. Et hoc præceptum Ecclesiæ (n. 9.) vocas *commune decretum totius Ecclesiæ*.

28. Secundo asseris (cap. 10. n. 16.) *sextam Synodū, hoc est, Patres Trullanos permittere Presbyteris uxores*. Falsum est. Nam sexta Synodus nullos canones aut decreta promulgavit. Synodus a. Trullana, quam tu confundis cum sexta synodo, post sextam synodum celebrata est in palatio Imperatoris Justiniani, quod Trullum dicebatur. Sed non fuit legitima.

29. Tertio asseris (c. 10. n. 19.) *Siricium Papam commendasse quidem clericis continentiam, non tamen præcepisse*. Falsum est. Nam & præcepit continentiam, & pœnam cōstituit ijs, qui præceptum continentię non servant. Utrumque
colli-

colligitur ex verbis illius suprà citatis. Nā preceptum continetur illis verbis: *Quarū sanctio- num Sacerdotes omnes atq, Levita insolubili lege constringimur. Pœna verò illis: Noverint se ab omni Ecclesiastico honore dejectos.*

30. Quarto asseris (c. 10. n. 23.) *absolutam & perpetuam continentiam primum omnium indictam esse presbyteris & Diaconis conjugatis à Cōcilio Agathensi, can. 9. Falsum est. Nam Concilium Agathense, canone citato, profitetur, se id statuere, quod jam antea à duobus Pontificibus, Siricio & Innocentio fuerat statutum. Sic enim loquitur: Placuit etiam, ut si Presbyteri vel Diaconi conjugati ad thorum uxorum suarum redire voluerint, Papæ Innocentij ordinatio, vel Sirisy Episcopi autoritas, qua est his canonibus inserta, servetur.*

31. Quinto asseris (n. 10. n. 35.) *in Occidentali Ecclesia multas esse expressas leges, qua precipiunt plenam & absolutam continentiam. Rectè quidem. Sed contrarium dicis n. 70. asserens, tam in Occidente, quàm in Oriente, Presbyteris liberum mansisse, ut, qui possent capere, caperent.*

32. Sexto asseris (ibidem) *in Orientali Ecclesia, nullam esse legem, aut decretum, aut constitutionem Ecclesiasticam, sive universalem, sive provincialem, qua precipiat plenam & absolutam continentiam. Contrarium dicis alibi. Nam n. 12. sic habes: Græci Patres, initio satagerunt, ut Diaconi cælibes tantum, hoc est, non uxorati, & sub promissione castitatis ac cælibatus, ad Diaconatus gradum proveherentur. Sic enim statuit Ancy-*

rana synodus. Et n. 16. Concilium Neocasariense statuit, ne Presbyter uxorem ducat. Et n. 29. citra controversiam est, quod Ecclesia Græca neque diffitetur, neque servare respuit, v. delictet nemini in sacris ordinibus constituto, licere uxorem ducere. Et ibidem: Sed in eo convenimus, quoad Episcopos, ut si conjugatus ad Episcopatum ascendat, omnino ab usu uxoris cesset, et se penitus contineat. Et n. 73. Si leges Ecclesiasticas, totius Ecclesia universalis antiquas, nec non antiquum usum earum, tam Occidentis quàm Orientis spectes; nemini in sacris Ordinibus, à Subdiaconatu & supra constituto licere uxorem ducere, si sit in gradu Ecclesiastico retinendus. Id enim constanter servavit & servat Ecclesia universalis, Græca pariter ac Latina.

33. Septimo asseris (cap. 10. n. 49. in fine) Ecclesiasticas leges, quæ præcipiunt cælibatum, ponere hominibus laqueum. Fallum est. Non ponunt laqueum, sed exigunt eam sanctitatem & castimoniam à sacerdotibus, quæ ipsorum officio consentanea est. Deinde injuriam facis illis omnibus, qui hujusmodi leges statuerunt, Et quis es tu, qui tot pontificum & Conciliorum decreta audes accusare & traducere? Tu potius laqueum ponis, qui conaris sacerdotibus persuadere, non teneri ipsos ad continentiam, sed potius uxores ducere, & contra leges Ecclesiasticas in matrimonio vivere. Similis illi qui persuadebat primis patribus, ut contra legem divinam comederent de ligno scientiæ boni & mali, adjiciens: Nequaquam moriemini.

34 Octauo asseris (n. 65.) *Ecclesiam non posse statuere legem, qua certo hominum statui generatim adimat libertatem contrahend: matrimonium.* Verum quidem est, quòd absolutè loquendo non possit hoc facere: Sed falsum est, quòd non possit hoc facere, eo modo, quo nūc facit, nempe sub hac conditione: Si quis velit esse Presbyter aut Episcopus, debet seruare continentiam. Nam per huiusmodi legem, non cogit hominem ad continentiam, sed relinquit unicuique liberum, ut possit amplecti statum Ecclesiasticum, vel non amplecti; & consequenter, ut possit uxorem ducere, vel non ducere, prout placuerit. Deinde, tibi ipsi contradicis. Nam n. 73. asseris, *leges Ecclesiasticas totius Ecclesie universalis, qua cœlibatum præcipiunt, posse abrogari per contrariam consuetudinem.* Ergo supponis huiusmodi leges, antequàm abrogentur, receptas esse & obligare.

35. Nono asseris (n. 70.) *Episcopos olim si cõjugati essent in sui promotione, cessasse quidẽ in posterum ab opere nuptiarum; non tamen cessasse ex religione aut cautione, quasi putarent ideis minime jam licere, sed ex deuotione & amore perfectioris cuiusdam puritatis.* Falsum est, ut patet ex Siricio Papa, qui, ut supra dixi, ait *crimen esse, si Episcopi aut Presbyteri conjugati utantur propriis uxoribus.* At non esset crimẽ, si liceret illis uti. Deinde tibi ipsi contradicis. Nam paulo ante dicebas: *In eo convenimus, quoad Episcopos, ut si cõjugatus ad Episcopatum ascendat, omnino ab usu uxoris cesset, & se penitus contineat.*

*An votum continentia sit annexum
sacro ordini?*

1. **T**U negas lib. 2. c. 11. n. 1. & trib. sequent. Ratio est, quia votum est promissio Deo facta : At promissio est actus perfectè liber & voluntarius in promittente. Hujusmodi autè actus non potest esse annexus sacro ordini, qui est externa tantùm ceremonia. Non enim Ecclesia potest efficere, ut externa ceremonia necessario annexum habeat meum liberum & voluntarium actum, quo Deo promittam continentiam. Potest quidem exigere à me, ut hujusmodi actum eliciam; sed non potest efficere, ut hujusmodi meus actus per se sit annexus externæ ceremoniæ.

2. Frustra laboras, Antoni. Nos non dicimus, hujusmodi actuale & expressum votum annexum esse sacris ordinibus. Solum asserimus, Clericos ex præcepto Ecclesiastico obligatos esse ad continentiam. Hanc obligationem, quatenus per præceptum Ecclesiæ annexa est sacris ordinibus, vocamus votum continentia: Non quidem explicitum & expressum, de quo tu loqueris, sed quasi implicitum ac virtuale. Nam is, qui scit hujusmodi obligationem requiri ab eo, qui vult sacros ordines suscipere; certè, si liberè suscipit sacros ordines, censetur etiam liberè consentire in obligationem continentia, quæ illis annexa est. Sicut is, qui liberè adit hæreditatem, cui scit annexum

xum esse onus restitutionis; censeatur etiam libere suscipere hujusmodi onus.

3. Sed objicis: *Hujusmodi votum, quale jam descriptum est, non obligat coram Deo, si non adsit internus animus votendi, quod sapè fit: sed solum præsumitur obligare. Ac proinde, qui susciperet sacros ordines sine interno actu votendi continentiam, non esset obligatus ad continentiam, sed posset uxorem ducere.* Respondeo. Verum est, votum non obligare, si non adsit internus actus votendi. Qui autem susciperet sacros ordines sine interno votendi actu, tamen si non obligaretur ad continentiam vivoti, quod nullum esse supponitur; obligaretur tamè vi præcepti Ecclesiastici, quod præcipit continentiam, ac proinde non posset uxorem ducere.

4. Iterum objicis: *Multi olim inviti ad Episcopatum vel Presbyterium pertracti sunt, ut Ambrosius, Augustinus, Paulinus, & alij. Ergo illi saltem non habuerunt internum actum liberum & voluntarium servandi perpetuam continentiam.* Respondeo. Non sequitur. Nam licet non libenter admiserint Episcopatum vel Presbyterium, id tamen non fecerunt, quòd inviti servarent continentiam (quam post susceptos ordines servarunt libentissimè) sed quòd inviti susciperent eam dignitatem, qua putabant se indignos esse. Est igitur duplex voluntas hîc distinguenda. Una suscipiendi dignitatem Ecclesiasticam: Altera servandi continentiam, quæ cum illa dignitate connexa est. Hæc posterior potest esse
prompta

prompta & expedita, tametsi prior sit aliquo modo, ut sic dicam, coacta vel extorta. Simile est de eo, qui invitus suscipit officium Regis vel Imperatoris, quia putat se tanto oneri imparem esse; & tamen paratus est subire laborem, qui tali officio annexus est.

CAPUT QUARTUM.

An votum continentia, quod sacris ordinibus annexum est, dirimat matrimonium.

1. **H**OC dupliciter potest intelligi. Primò de obligatione servandi cōtinentiam, quæ per legem Ecclesiasticam annexa est sacris Ordinibus, de qua dictum est præcedenti capite. Secundò, de voto expresso, quo quis liberè & voluntariè promittit Deo perpetuam continentiam, quando suscipit sacros ordines. Est igitur quæstio, An vel hoc votum, vel ista obligatio sit impedimentum, quod dirimat subsequens matrimonium? Utrumq; negas, li. 2. c. 11. n. 8. & seqq. Et probas duplici potissimum argumento.

2. Primò, quia pœnæ Ecclesiasticæ, quæ olim statuta sunt in eos, qui post susceptos ordines contrahunt matrimonium, sunt tantùm pœnæ depositionis à ministerio, vel excommunicationis. Nec in tota antiquitate reperire est ullum testimonium Patrum aut Conciliorum, quo hujusmodi matrimonia declarentur

rentur irrita & invalida. Quod confirmas varijs exemplis.

3. Secundò: *Votū simplex non dirimit matrimonium: Ergo nec votum solenne, quia solennitas seu publica professio nihil addit voto simplici. Hoc confirmas ex Apostolo 1. Tim. 5. 11. Adolescentiores viduas evita. Cū enim luxuriata fuerint in Christo, volunt nubere: habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Si, inquis, matrimonium, quod hujusmodi vidua, post solenne votum castitatis contraherent, fuisset irritum, non dixisset Apostolus, Volunt nubere, sed, Volunt scortari.* Hic addis auctoritatem Patrum & Conciliorum.

4. Respondeo. Quæ adfers de voto solenni, quo quis liberè & voluntariè, promittit Deo perpetuam continentiam, capite ultimo discutienda sunt, ubi de Monachis disputandum est. Ibi ostendam, votum solenne, non solum impedire, quod tu concedis; sed etiam dirimere matrimonium, quod tu negas. Reliqua, quæ pertinent ad obligationē continentia, quæ per præceptum Ecclesiasticum sacris ordinibus annexa est, hoc loco examinanda sunt. De quibus sic sentio.

5. **PRIMA CONCLUSIO.** Matrimonium, quod olim contrahebant clerici in sacris ordinibus constituti, erat quidem validū, sed tamen illicitum. Hoc concedis. Et quidem, quòd fuerit validum, ex eo patet, quia in antiquis concilijs & canonibus nulla lex lata est, quæ declararet irritum & invalidum esse.

Huc spectat primum Argumentum quod attulisti. Quod autem fuerit illicitum, ex eo constat, quia jure Ecclesiastico erat prohibitum. Quidquid autem lege Ecclesiastica prohibitum est, illicitè fit.

6. SECUNDA CONCLUSIO. Matrimonium, quod nunc contrahunt clerici in sacris ordinibus constituti, non solum est illicitum, sed etiam irritum & invalidum. Hoc posterius tu negas. At ego probo, quia nunc lata est lex Ecclesiastica, quæ hujusmodi matrimonium declarat esse irritum & invalidum, ut patet ex jure canonico, cap. *Ut lex.* 27. q. 1. Et ca. unico, de voto, in 6. & in Concilio Tridentino Sess. 24. can. 9. Et ratio est, quia sicut Princeps Secularis potest ferre legem, qua decernat personas esse inhabiles ad civiliter contrahendum; ac proinde, si tales personæ præsumant contrahere, contractum illorum esse irritum & invalidum: Sic etiam potest Ecclesia statuere legem Ecclesiasticam, qua decernat certos homines esse inhabiles ad contractum matrimonij; ideoq; si præsumant contrahere, contractum esse nullum. Et re ipsa id facit. Decernit n. eos inhabiles esse, qui clandestinè contrahunt, sine parrocho & testibus; qui in certo gradu cognationis aut affinitatis contrahunt; qui in sacris ordinibus constituti contrahunt: ac proinde si præsumant contrahere, matrimonium esse invalidum.

7. Objicies fortè, quod solet objici, *legem Ecclesiasticam non posse derogare juri naturali.* At

jus

Jus naturale concedit hujusmodi matrimonia, de quibus jam dictum est: Ergo lex Ecclesiastica non potest illa facere irrita & invalida. Respondet eo, Jus naturale quædam præcipit vel prohibet; quædam libera permittit. Igitur lex Ecclesiastica non potest derogare jure naturali, in ijs, quæ præcepta aut prohibita sunt. Potest tamen derogare, vel potius certi aliquid determinare in ijs, quæ libera permittita sunt. Verbi gratia. Jus naturale præcipit charitatem, temperantiam justitiam: prohibet furtum adulterium, homicidium. In his non potest lex humana derogare juri naturali. Rursum: jus naturale permittit liberum usum rerum externarum, ut agrorum, fluminum, montium, fructuum, avium, piscium, pecorum: Et hoc sensu dici solet, jure naturali, omnia esse communia. At lex humana tollit hanc communitatem, & introducit divisionem ac proprietatem rerum, ut liceat mihi dicere: Hic ager est meus, non tuus; & sic deinceps. Idem facit Ecclesia circa matrimonium. Jus naturale permittit liberum contractum matrimonij in multis casibus. At lex Ecclesiastica in quibusdam tollit hanc libertatem. Et determinat certos gradus, in quibus non liceat contrahere: Determinat certa impedimenta, quæ dirimant matrimonium. Inter quæ impedimenta, est sacer

Ordo clericorum. Sed de hoc
alibi latius.

*An sacer Ordo sit Sacramen-
tum.*

1. **I**N sacro Ordine duo spectanda sunt. Primò, externa actio, qua ordinantur ministri Ecclesiæ. Quæ vocari solet sacra ordinatio. Secundò, interna potestas, quæ confertur per externam actionem. Quæ vocari solet potestas Ordinis. Alij vocant characterem Ordinis. Augustinus, ut infra videbimus, vocat jus dandi Baptismum. Hoc posito, quæstio est, *An sacer Ordo sit Sacramentum?* Quod etiam dupliciter potest intelli-

gi. 1. An ordinatio sit actio Sacramentalis? 2. An potestas Ordinis sit proximus effectus Sacramentalis, proueniens ex actione Sacramentali? Tu negas lib. 2. cap. 4. Catholici affirmant. Tibi patrocinantur Lutherani & nonnulli Calvinistæ: Nobis Scriptura, & Consensus Ecclesiæ. Unde duplex sumi potest argumentum.

2. Primum est: Tria requiruntur & sufficiunt ad Sacramentum novæ legis, ut Catholici & aduersarij fatentur. 1. Externa ceremonia, vel ritus, vel signum, vel symbolum: quæ omnia idem valent. 2. Institutio Christi. Nam externa ceremonia non est apta pro Sacramento, nisi à Christo sit instituta vel deputata. 3. Promissio gratiæ; quæ debet esse annexa externæ ceremoniæ à Christo institutæ.

tutæ. Nam Christus in institutione Sacramenti, solet promittere gratiam illis omnibus, qui digne & legitime vsurpant externam ceremoniam, ab ipso institutam. At hæc tria reperiuntur in sacra ordinatione, ut patet ex Scriptura, 1. Timoth. 4. 14. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterij.* Et 2. Timoth. 1. 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Ubi aperte fit mentio gratiæ, quæ datur Ministris Ecclesiæ per impositionem manuum, tanquam per externam ceremoniam à Christo institutam. Nam illa ceremonia non potest institui ab Apostolis, quia illi non habebant potestatem instituendi ceremoniam, per quam gratia infallibiliter conferretur legitime accedentibus.

3. Accedit consensus Ecclesiæ. Qui colligi potest ex duplici capite. Primo ex Augustino lib. 2. contra Parmenianum, cap. 13. Ubi disputans contra Donatistas, asserentes, Baptismum quidem non amitti per hæresin, sed tamen sacrum Ordinem amitti, sic scribit: *Nam illud, quod quidam eorum veritate convicti dicere cæperant. Baptismum quidem non amittit, qui recedit ab Ecclesia, sed jus tamen dandi amittit: multis modis apparet frustra & inaviter dici. Primò, quia nulla ostenditur causa, cur ille, qui ipsum Baptismum amittere non potest, jus dandi amittere possit. Utrumque enim Sacramentum est: & quadam consecratione utrumq; homini datur:*

illud, cum baptizatur, istud, cum ordinatur: ideoque in Catholica Ecclesia utrumque non licet iterari. Hanc postremam partem probat ex praxi Catholicorum; quia sicut is, qui recedit ab Ecclesia Catholica, & postea ad eam redit, non solet iterum baptizari; ita etiam non solet iterum ordinari. Et postea subjicit: Sed si nos male facimus, ipsi explicent, quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, & sacramentum ordinati possit amitti: quoniam dicunt Recedens ab Ecclesia, Baptismum non amittit, jus dandi tamen amittit. Si enim utrumque Sacramentum est, quid nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri Sacramento injuria facienda est.

4. Hic tria asserit Augustinus. 1. Sacrum Ordinem esse Sacramentum. 2. Non minus esse Sacramentum, quam Baptismum. 3. Neminem dubitare de hac re. Unde sequitur, quod mihi probandum est, omnes fideles, quotquot vixerunt tempore Augustini, certo credidisse, sacrum Ordinem esse verum Sacramentum, sicut Baptismus est. Cur igitur & tu non credis, Antoni? Cur à communi consensu Catholicæ Ecclesiæ temerè recedis? Nimirum, ostendis te Apostatam ac hæreticum esse: Et quidem deteriorem, quam erant Donatistæ, qui in isto articulo à Catholicis non dissentiebant. Tamen enim putarent, hoc discrimen esse inter Baptismum & Ordinem, quòd Baptismus amitti non possit. Ordo autem amitti possit; fatebantur tamen utrumque esse verum Sacramentum.

5. Idem Ecclesiæ consensus colligitur ex Concilijs. Primo ex Concilio Chalcedonenfi (quod fuit unum ex quatuor primis generalibus & Oecumenicis,) act. 15. can. 2. Ubi statuit pœnam in Episcopos, qui accipiunt pecuniam pro ordinatione Clericorum. Rationem addit; quia censentur vendere gratiam Dei, quæ vendi non potest. Supponit ergo gratiam Dei conferri per sacram Ordinationem, ac proinde sacram Ordinationem esse Sacramentum. Idem facit Concilium Braccarense 2. can. 3. his verbis: *Placuit de ordinatione Clericorum, Episcopi munera nulla accipiant, sed sicut scriptum est, quod gratis donante Deo accipiunt, gratis dent. Non aliquo precio gratia Dei, & impositio manuum venundetur.*

6. Deinde ex Concilio Florentino & Tridentino, ubi sacer Ordo expressè numeratur inter septem Sacramenta novæ legis. Nec obstat, quod tu impudenter objicis; *Hæc duo Concilia non fuisse legitimè celebrata, non fuisse generalia, non fuisse à tota Ecclesia acceptata & approbata, fuisse in multis ex diametro antiquis Ecclesiæ Concilijs contraria.* Mera hæc calumnia est: eoque major & intolerabilior, quòd in tui creatione ad Archiepiscopatum Spalatensem, cū juramento promiseris receptionem Concilij Tridentini, ut bene notant Theologi Colonienses in sua censura.

7. Sed audiamus, quid à communi Ecclesiæ sententia pertraxerit te in errorem Lutheranorum. Præcipua argumenta, quæ ad

fers, sunt quatuor. Primum est: Si Ordo est Sacramentum imprimens characterem, indelebilem, sicut Baptismus, debent illi convenire hæc tria. 1. ut semper sortiatur suum primū & proximum effectum in quocunque homine, quantumvis fictè & indignè accedente, id est, ut cuicunque accedenti conferat potestatem Ordinis. 2. ut qui semel ordinatus est, & accepit potestatem Ordinis, nunquam possit illam amittere. 3. ut semper valide possit ea uti, etiam si indignè utatur. At hæc tria non conveniunt sacro Ordini: Ergo sacer Ordo non est Sacramentum. Minorem probas auctoritate Cypriani, Dionysij Arcopagita, Hieronymi, Gelasij, Augustini, Leonis, & aliorum Patrum, de quibus sigillatim dicendum est.

8. Ex Cypriano lib. 1. epistol. 4. citas hæc verba: *Sollicite ac religiosè considerantes in ordinationibus Sacerdotum, non nisi immaculatos & integros Antistites eligere debemus, qui dignè & sanctè Deo sacrificia offerentes, audiri in precibus possint, quas faciunt pro plebis Dominicæ involuntate, cum scriptum sit: Deus peccatorem non audit, sed si quis Deum coluerit, & voluntatem ejus fecerit, illum audit. Propter quod plena diligentia, & exploratione sincera, oportet eos ad Sacerdotium deligi, quos à Domino constat audiri. Nec sibi plebs blandiatur, quasi immunis à contagione delicti esse possit, cum Sacerdote peccatore communicans, & ad iniustum & illicitum prepositi sui Episcopatum, consensum suum commodans: cum per Oseam Prophetam comminetur, & dicat censura divina:*

Sacrificia eorum, tanquam panis luctus, omnes qui manducant ea, contaminabuntur. Docens scilicet & ostendens, omnes omnino ad peccatum constringi, qui fuerint prophani & iniusti Sacerdotis sacrificio contaminati. Quod idem in Numeris manifestari invenimus, quando Chore, Dathan, & Abiron, contra Aaron Sacerdotem sacrificandi sibi licentiam vendicaverunt.

9. Ex hoc loco Cypriani sic argumentaris: Si Ordo esset Sacramentum tale in suo genere, qualis est Baptismus, jam Sacerdos etiam indignissimus, eo initiatus, sacrificium legitimum & sanctum conficeret, At non conficit ex sententia Cypriani. Primò, quia Cyprianus dicit, panem ab eo consecratum, esse panem luctus. Secundò, dicit plebem ab huiusmodi sacrificijs debere abstinere: & nisi abstineat, contaminari. Tertiò, confert Episcopum indignè ordinatum cum Chore, Dathan, & Abiron, qui non fuerunt Sacerdotes, sed meri usurpatores officij Sacerdotalis.

10. Resp. Malè interpretaris Cyprianum. Erat illi proposita quæstio, an liceret plebi communicare cum Martiale & Basilide Episcopis, qui peccato idololatriæ & alijs facinoribus erant contaminati? Aliqui affirmabant; alij negabant. Respondet Cyprianus, non licere. Et ex hac occasione, simul explicat, quales debeant esse Episcopi ac Sacerdotes, ut à Deo exaudiantur. Hoc posito, facilè diluuntur, quæ objicis. Ac primò, non dicit Cypria-

nus, panem ab Episcopo consecratum esse panem luctus, ut tu falso illi aslingis; sed citat testimonium Osee Prophetæ cap. 9. v. 4. ubi de Israelitis, qui falsos Deos adorabāt, sic loquitur: *Non libabunt Domino vinum, & non placebunt ei. Sacrificia eorum, quasi panis lugentium: Omnes, qui comedent eum, contaminabuntur: quia panis eorum anima ipsorum, non intrabit in domum Domini.*

II. Sensus hujus loci consistit in duabus propositionibus. Una est: panis lugentiū, qui reperitur in domo alicujus mortui, secundum legem Moysaicam, immundus & contaminatus est, & qui comedunt talem panem, sunt etiam immundi & contaminati (Num 19. 14.) Altera: sicut panis lugentium mortuum contaminatus est; sic etiam sacrificia & libamina populi Israelitici contaminata sunt. Et sicut illi, qui comedunt de pane lugentium mortuum, fiunt immundi & contaminati; sic etiam, qui comedunt de sacrificijs, & bibunt de libaminibus populi Israelitici, fiunt immundi & contaminati. Scis causam Antoni. Nam populus Israel, tempore Osee Prophetæ, ex vna parte agnoscebat verum Deum, & ex altera colebat falsos Deos, iuxta illud 3 Reg. 18. 21. *Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: Si autem Baal, sequimini illum.* Sacerdotes autē tametsi offerret sacrificia, sub prætextu colendi Deum, non tamen legitimè offerebant, ex triplici defectu. Primo, quia claudicabant in duas partes, ut dixi. Secun-

Secundò, non offerebant ad honorem Dei, sed ad propriam utilitatem: nimirum, ut ex vino, pane, & pecoribus, quæ populus in sacrificium illis dabat, possent bibere & epulari. Et hoc est, quod dicit Oseas loco citato: *panis eorum, anima ipsorum.* Tertiò, non offerebant Hierosolymæ in templo, qui locus erat designatus pro sacrificijs, sed alibi, contra expressum Dei mandatum. Et huc spectat illud Osee: *Non intrabit in domum Domini.* Igitur ex hoc triplici defectu, sacrificia eorum non placebant Deo, sed censebantur immunda & contaminata: & qui comedebant ex illis, fiebant etiam immundi & contaminati, quatenus erant participes peccati.

12. Ex hac duplici propositione, altera de pane lugentium, altera de sacrificijs Israelitarum, deducit Cyprianus tertiam propositionem, quæ est huiusmodi: Sacrificium, quod offerunt Martialis & Basilides Episcopi, non placet Deo, ex parte offerentium; quia ipsi sunt peccato idololatriæ; & alijs flagitijs contaminati: & populus, qui sponte communicat cum huiusmodi Episcopis, quos scit esse flagitiosos, fit particeps peccati illorum, præsertim cum possit habere bonos Episcopos, si vellet. Et per hanc propositionem responderet ad quæstionem, quæ illi erat proposita. Dixi, *ex parte offerentium*, quia ex parte rei oblata est alia ratio. Nam si Martialis & Basilides offerebant verum sacrificium Eucharistiæ secundum ritum Catholicorum, & institutionem

tionem Christi; non poterat esse defectus ex parte rei oblatae, sed tantum ex parte offerentium, qui erant indigni propter peccatum idololatriæ. Et similiter populus non poterat contaminari ex eo præcise, quia erat particeps illius sacrificij, oblati, sed quia erat particeps peccati offerentium.

13. Quod addis, Cyprianum conferre Episcopos indignè ordinatos cum Chore, Dathan & Abiron, qui non erant Sacerdotes, sed usurpatores officij sacerdotalis, distinguendum est. Conferunt illos quoad peccatum; non quoad potestatem. Nam sicut Chore, Dathan, & Abiron, in eo peccabant, quod indignè ambi-
rent Sacerdotium: sic mali Episcopi in eo peccant, quod indignè accipiunt Sacerdotium. At in eo differunt, quòd illi, tametsi ambi-
rent Sacerdotium, non tamen adepti sunt; ac proinde non habebant potestatem sacrificandi. Hi vero non solùm ambiunt, sed etiam impetrant sacerdotium; ideoque habent potestatem Ordinis, tametsi indigne accipiant, & indignè utantur. Hæc sufficiant de primo Cypriani testimonio.

14. Secundò, ex eodem Cypriano lib. 4. cap. 2. post medium, citas hæc verba: *Episcopatum tenere nõ posset, etiamsi Episcopus prius factus, à Coepiscoporum suorum corpore, & ab unitate Ecclesiæ desisceret, cum Apostolus admoneat: ut inuicem nosmetipsos sustineamus, nec ab unitate, quam Deus constituit, recedamus, & dicat: Sustinentes in vicem in dilectione, satis agentes servare unita-*

tem Spiritus, in conjunctione pacis. Qui ergo nec unitatem Spiritus, nec conjunctionem pacis observat, & se ab Ecclesia vinculo, atque à Sacerdotum collegio separat, Episcopi nec potestatem potest habere, nec honorem, qui Episcopatus nec unitatem voluit tenere, nec pacem. Hinc infero, potestatem Ordinis separari posse ab Episcopo legitime ordinato, si fecerit schisma.

15. Resp. Non loquitur de potestate Ordinis, sed jurisdictionis. Nam potestas Ordinis amitti non potest, ut expresse docet Augustinus lib. 2. contra Parmenianum, c. 13. Ratio Augustini est, quàm superius attigi, quia sicut Episcopus, qui recedit ab Ecclesia, & postea redit, non solet iterum baptizari; sic etiam non solet iterum ordinari: Ergo signum est, quòd sicut Baptismum non amittit, ita nec sacrum Ordinem amiserit.

16. Quod si contendas Cyprianum putasse, potestatem Ordinis auferri posse ab Episcopo per hæresin: Jam contendis illum errasse cum Donatistis, quos loco citato refutat Augustinus. Dicebāt Donatistæ, Baptismum à Sacerdote vel Episcopo hæretico collatum, non esse validum. Ut defenderēt hunc errorem, assumebant alium, nempe Sacerdotem vel Episcopum, quando sit hæreticus, amittere potestatem Ordinis, & ideo non posse validè baptizare: ac proinde, qui ab illo baptizati essent, ab alio Catholico rebaptizari oportere. Vide ne injuriam facias & Cypriano, & tibi ipsi. Cypriano quidem, si dicas illum errasse cum Donatistis.

brium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem: Sed ait hujusmodi qualitates seu virtutes requiri in Episcopo, si suo officio debeat satisfacere. Igitur duo spectanda sunt in Sacerdote. 1. Potestas Ordinis. 2. Sufficiens dispositio ad exercitium illius potestatis. Qui utrumque habet, perfectus Sacerdos est: qui prius tantum sine posteriori, Sacerdos quidem est, non tamen in suo genere perfectus. Et hoc sensu intelligendus est Dionysius.

19. Quartò adducis Hieronymum (in cap. 1. epist. ad Galat.) asserentem, promotos ad Sacerdotium modis illegitimis, non esse verè ordinatos. Verba Hieronymi sunt hæc: *Tertium Apostolorum genus, quod ab homine, non à Deo, est, cum hominū favore & studio aliquis ordinatur: ut nunc videmus plurimos, non Dei iudicio, sed redempto favore vulgi, in sacerdotium subrogari.* Respōdeo. Hieronymus nō dicit, quod tu dicis. Non dicit eos, qui favore hominū ordinantur Sacerdotes, non verè ordinari: Sed non vocari ad Sacerdotium à Deo, sed ab homine. Hoc nō obstat, quo minus verè ordinentur. Nam hæc duo distinguenda sunt. 1. Deus vocat, seu interius excitat hominem ad sacrum Ordinem suscipiendum. 2. Deus in susceptione sacri Ordinis operatur. Hoc posterius potest disjungi à priori. Sicut fit etiam in Baptismo. Nam Judæus, qui propter solam spem lucri temporalis, indignè accedit ad Baptismum; non censetur à Deo vocari ad suscipiendum.

dum Baptismum; & tamen Deus operatur in Baptismo, quem ille suscipit: Non quidem dādo illi gratiam, qua indignus est, sed conferēdo characterem. Idem dico de sacro Ordine. Sicut ergo potest aliquis verè baptizari, etiāsi à Deo nō sit vocatus ad Baptismum; ita potest etiam verè ordinari. Et in tali casu, Deus non dicitur autor Sacramēti, quoad accessum, sed quoad effectum seu characterem.

20 Quintò ex eodem Hieronymo (in cap. 4. epist. ad Ephes.) adducis hæc: *Ut qui Pastor est, esse debeat & Magister: nec in Ecclesiis, quamvis sanctus sit, Pastoris sibi nomen assumere, nisi possit docere, quos pascit.* Respondeo. Aliud est, aliquem ordinari Sacerdotem, & accipere potestatem Ordinis: aliud fieri Pastorem & Doctorem populi. Hieronymus nō dicit, Magisterium & doctrinam esse necessariam conditionem, sine qua nemo possit consecrari Sacerdos; sed sine qua nemo possit fieri pastor ovium, & per se instruere populum in fide ac pietate. Quod verissimum est.

21. Sextò eundem Hieronymum citas (in cap. 3. Sophoniae,) ubi sic ait: *Sacerdotes, qui Eucharistia serviant; & sanguinem Domini populis ejus dividunt, impiè agunt in legem Christi, putantes Eucharistiam imprecantis verba facere, non vitam: & necessariam esse tantum solennem orationem, & non Sacerdotum merita.* Hinc infero malos Sacerdotes non verè consecrare Eucharistiam, ac proinde potestatem Ordinis auferri per peccatum. Respondeo, Si ita pergis An-
toni,

toni, turbabis totam Ecclesiam. Nam si mali Sacerdotes amittunt potestatem Ordinis per peccatum, necesse est, & tō, & reliquos omnes Sacerdotes, per primum peccatum, quod post susceptos Ordines perpetrastis, amisisse potestatem Ordinis, & non amplius esse Sacerdotes. Unde ulterius sequitur, toties commisisse vos Sacrilegium, quoties Eucharistiam conati essetis consecrare; quoties absolutionis Sacramentum impendere; quoties sacros Ordines conferre. Et quis obsecro erit securus in conscientia, si cogitet se nunquam verè accipere Eucharistiam, vel absolutionem, vel sacros Ordines, si accipiat à Sacerdote vel Episcopo in peccato mortali existente? Schismaticus es, Antoni.

22. Porro Hieronymus, quem adducis, longè abest à tuo errore. Cùm enim ait: *Sacerdotes impiè agere, qui putant Eucharistiam imprecantis verba facere non vitam*: nō loquitur præcisè de consecratione panis & vini Eucharistici, quasi asserat, panem & vinum non consecrari per verba consecrationis, sed per bonam vitam Sacerdotis, quia constat hoc falsum esse: sed loquitur de Eucharistia, id est, de gratiarum actione, quæ exhibetur Deo à Sacerdote per oblationem sacrificij Eucharistici. Est ergo hic sensus: Sacerdotes impiè agunt, qui putant se Deo gratiarum actionem exhibere per solam consecrationem, etiam si malè vivant. Quem sensum alijs verbis explicat D. Thomas 3. p. quæst. 82. art. 5. ad 1. cùm ait: *Hie-*

ronymus improbat errorem Sacerdotum, qui credebant se dignè posse Eucharistiam consecrare ex hoc solo, quòd sunt Sacerdotes, etiam si sint peccatores.

23. Septimo citas Gelasium (apud Gratianum cap. Sacrosancta. i. quæst. i.) ubi ait. *Sacrosancta religio, qua Catholicam continet disciplinam, tantam sibi reverentiam vendicat, ut ad eam quilibet, nisi pura conscientia, non audeat pervenire. Nam quomodo ad divini mysterij consecrationem cælestis Spiritus invocatus adveniet, si Sacerdos, qui eum adesse deprecatur, criminosis plenus actionibus reprobetur?* Hinc etiam infero, Eucharistiam à malo Sacerdote invalidè consecrari. Addis D. Thomam 3. p. q. 82. art. 5. ad 2. distorquere Gelasij verba, quasi dicta sint cõtra eos Sacerdotes, qui se dignè putant consecrare Eucharistiam, ex eo, quòd sint Sacerdotes, tametsi peccatorum sordibus immundi sint. Respondeo. Falsum est, Antoni. Non dicit hoc D. Thomas de verbis Gelasij, sed Hieronymi, ut paulo antè ostendi. Gelasium aliter interpretatur. Nempe Spiritum sanctum non advenire ex merito mali Sacerdotis, sed ex virtute Christi, cujus verba profert Sacerdos. Hanc interpretationem, quæ bona est, dissimulasti; & aliam, mala fide, in ejus locum substituísti. Sed Apostatæ non aliter docentur à suo Magistro.

24. Octavo citas Augustinum (in Dial. 65. quæstionum, quæst. 64.) ubi ait: *Apostolorum sunt genera quatuor: à Deo, non per hominem: à Deo, sed per hominem: per hominem tantum: &*

ex se. A Deo etenim missus est Moyses. A Deo per hominem, Jesus Nave. Per hominem tantum, sicut nostris temporibus, multi favore vulgi in sacerdotium subrogati sunt. Ex se autem, sicut sunt ipsi Pseudoprophetae. Ex quo concludis, Sacerdotes, qui favore vulgi ordinati sunt, non esse verè ordinatos. Respondeo. Augustinus non est autor illius Dialogi, ut nosti. Deinde jam antè ad similem Hieronymi sententiam respondit est. Nec opus est hinc repetere.

25. Nono citas Leonem Papam (epist. 95.) asserentem, promotos contra canones non suscipere Ordinem; ac proinde Ordinem non esse Sacramentum. Verba Leonis sunt hæc: *Nulla ratio finit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti.* Et ibidem: *Quis ambigat non esse eis tribuendum, quod non docetur fuisse collatum?* Respondeo. Hæc verba non habentur epist. 95. sed 90. ad Rusticum Narbonensem Episcopum. Nec integrè à te citata sunt. Integrè sic habent; *Nulla ratio finit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à provincialibus Episcopis, cum Metropolitanis iudicio consecrati.* Unde cum sæpe quaestio de malè accepto honore nascatur, quis ambigat, nequaquam istis esse tribuendum, quod non docetur fuisse collatum? Hæc verba, Antoni, si quem tangunt, te tangunt. Nam si Angli hoc tempore quærent ex Leone Papa: An Marcus Antonius debeat inter Episcopos haberi, cum in Anglia nihil constet de ipsius ordinatione; responderet

sine dubio: nulla ratio finit, ut inter Episcopos Angliæ habeatur, quia ab Episcopis Angliæ cū Metropolitanis iudicio consecratus non est: nisi doceat, alibi honorem Episcopalem sibi collatum esse. Hoc doce, & cessabit quaestio. Sed, si docere id nō posses, an ideo valebit hæc consequentia: Antonius non est legitimè ordinatus: Ergo ordinatio nō est Sacramentum? Absit. Non pendet natura Sacramenti à defectu unius hominis.

26. SECUNDUM ARGUMENTUM: SIMONIACI, quando ordinantur, nihil accipiunt; & hæretici, quando ordinant, nihil conferunt: Ergo Ordo non est Sacramentum. Antecedens probas ex Patribus. Primò ex Gregorio lib. 7. epist. 110. ubi sic habet: *quicumque sacerdotium studet pretij datione mercari, non officium, sed nomen attendit: non esse sed dici tantum sacerdos, concupiscit.* Respondeo. Gregorius non loquitur de effectu Ordinationis, sed de intentione illius, qui Simoniacè ordinatur. Intentio illius duplex est. Una, ut habeat titulum, honorem, & dignitatem sacerdotij; non autem, ut reipsa præstet officium, quod à vero Sacerdote exigitur. Altera, ut possit fieri Sacerdos sine prævio examine de doctrina & moribus. Utramq; intentionem explicat Gregorius. Priorem quidem, verbis jam citatis. Posteriores verò his sequentibus: *Quid scilicet? quid per hoc aliud agitur, nisi ut nulla de actū probatio, nulla sollicitudo de moribus, nulla sit de vita discussio: sed ille solummodo dignus, qui dare pretium*

pretium suffecerit, aestimetur? Non negat tamen Gregorius, quin Ordinatio sit valida.

27. Secundò ex Ambrosio lib. de dignit. Sacerdotal. cap. 5. ubi sic scribit: *Ergo gratiam, cum ordinareris, non suscepisti, quia gratuito eam non meruisti. Et ideo frater, si gratiam non accepisti, quomodo Episcopus effici potuisti? Aurum dans perdidisti, & gratiam sanctam non acquisisti.* Hic per gratiam ut tu interpretaris, intelligit potestatem Ordinis, quam accipit Simoniacè ordinatus. Respondeo. Vera interpretatio est hæc. Ambrosius instituit colloquium inter se & alium Episcopum Simoniacè ordinatum, his verbis: *Interrogo tamen fratrem & Coepiscopum nostrum, quia & ego Episcopus sum, & cum Episcopo loquor. Dic ergo mihi paulisper frater Episcope, cum dares pecuniam, quid accepisti? Gratiam Episcopalem accepi. Ergo interrogo te: hac gratia, cur tali vocabulo nuncupatur? Respondet: cur, inquis? ut reor, pro eo, quod gratis datur, ideo gratia vocitatur. Ergo si gratia gratis datur, & auro non aestimatur, à te cur gratia pecuniis comparatur? Respondet: Non, inquit, mihi daretur si pecuniis non emeretur: Nec Episcopus fuisset ordinatus, si pecuniis non dedissem. Ergo ut apparet, ex responsionibus tuis, gratiam cum ordinareris, non suscepisti, quia gratuito eam non meruisti. Et ideo frater, si gratiam non accepisti, quomodo Episcopus effici potuisti? Nam & ad Discipulos suos Dominus dicit: *Gratis accepistis: gratis date.* Cur ergo gratuitam existimasti te pretio possidere gratiam? nam ut video, aurum dans perdidisti, & gratiam sanctam*

non acquisisti: Adhuc tamen semel adjiciens, fratrem perquiro Episcopum, ne quid de approbamentis veridicis nos pratermississe videamur. Quis dat, frater, Episcopalem gratiam, Deus, an homo? Respondes siue dubio: Deus. Sed tamen per hominem dat Deus. Homo imponit manus: Deus largitur gratiam, Sacerdos imponit supplicem dextram: & Deus benedicit potenti dextra. Episcopus initiat Ordinem, & Deus tribuit dignitatem. O justitia, o aequitas! Si homini pecunia datur, qui nihil in Ordine amplius operatur, nisi solum servitium, quod ei creditur; cur Deo totum negatur, qui ipsum Ordinem tibi largitur?

28. In hoc colloquio proponit Ambrosius tres potissimum quaestiones Episcopo Simoniacè ordinato, ut eum capiat. Prima est, quid accepisti in Ordinatione? Accepi gratiam Episcopalem. Altera, cur vocatur gratia. Quia gratis datur. Tertia, quis eam dat? Deus per ministerium hominis. Et ex responsione ipsius, dupliciter illum capit. Primo, si gratia Episcopalis datur gratis; ergo illam non accepisti, quia non accepisti gratis, sed pecuniam numerasti. Secundò, si Deus illam dat cur pro eo numeras homini pecuniam, & non Deo? Gratosè autem ludit in vocabulo gratiae. Nam tametsi Episcopus Simoniacus, per gratiam intelligat dignitatem & potestatem Ecclesiasticam; Ambrosius tamen, ut reducat illum ad sanam mentem, intelligit etiam gratiam Sacramentalem, praefertim cum ait: Homo imponit manus: Deus largitur gratiam. Alludens ad illud Apostoli 2. Tim.

Tim. i. 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae in te est, per impositionem manuum mearum.* Item: cùm ait, *Aurum dans perdidisti, & gratiam sanctam non acquisisti.* Hinc tria colligo ex sententia Ambrosij. Primò, Simoniacè ordinatū non accipere gratiam Sacramentalem: *Gratiā sanctam non acquisisti.* Secundò, accipere tamē potestatem Ordinis: *Cur Deo totum negatur, qui ipsum Ordinem tibi largitur?* Tertiò, Sacrum Ordinem esse Sacramentum: *Homo imponit manus: Deus largitur gratiam.*

29. Tertiò objicis autorem operis imperfecti, (Homil. 53. apud Chrysoft.) ubi asserit, *justos ordinari à Deo; injustos autem minimè.* Et Clementem lib. 8. Constit. Apostol. cap. i. ubi similiter asserit, *Episcopos imperitos, non esse Episcopos, nec à Deo constitutos, sed ab hominibus.* Respondeo. Confundis omnia. Nam hīc agitur de Simonia: & probandum tibi est, Simoniacè ordinatos, non esse verè ordinatos. At hi duo autores, quos citas, nihil dicunt de Simonia, sed de imperitia & malitia eorum, qui accedunt ad Ordines. De quibus jam supra dictum est in primi argumenti solutione. Eò te remitto.

30. Quartò objicis Tharassium Patriarchā Constantinopolitanum in epist. ad Adrianum Papam (apud Gratianum cap. Eos qui. i. quæst. i.) qui ait: *Quanquam (Simoniacè ordinatus) nomine sacerdotium sortitus est; sed in eum falsò nomen istud conferri, re ipsa comprobatur.* Itē: *Cōpertissimum quoq; est, in ipsis sancti Spiritus gratiā*

non esse, aut sacerdotij sanctificationem; & quod non acciperunt, non habent. Respondeo. Verum est, quod dicitur in hoc posteriori testimonio, Simoniacos in Ordinatione, non accipere gratiam sanctificantem. Prius testimonium non habetur apud Gratianum loco à te citato. Nec etiam in Epistola Tharasi ad Adrianum, quae extat tom. 3 Concil.

31. Quintò ex Gregorio VII. (Lib. 6. Regist. ad ep. 5. in Decret.) objicis hæc verba: *Ordinationes, quae interveniente pretio, vel precibus, vel obsequio alicujus personæ, impenso, vel quae non communi consensu cleri & populi, secundum canonicas sanctiones fiunt, & ab his, ad quos consecratio pertinet, non comprobantur, infirmas & irritas esse judicamus.* Respondeo. Hæc verba invenio apud Gratianum, cap. Ordinationes. 1. quæst. 1. sub nomine Gregorij IV. Sed non nihil mutata. Nam ubi tu dicis, *infirmas & irritas esse judicamus*; ipse sic recitat, *Falsas esse judicamus.* Porro, tuam citationem non potui reperire. Quod ad rem attinet, quid mirum est, irritas esse ordinationes, quæ non approbantur ab ijs, ad quos pertinet consecratio?

32. Hæc de priori parte secundi argumenti, in qua falsò contendis, Simoniacos non ordinari validè, id est, nihil accipere in Ordinatione. Catholicij docent cum D. Thoma in 2. 2. q. 100. art. 6. ad 1. Simoniace ordinatorum accipere quidem characterem, seu potestatem Ordinis, propter efficaciam Sacramenti; non tamen accipere gratiam sanctificantem,

tem, neq; Ordinis executionem; sed ipso iure suspensos esse, vt nō liceat ipsis exercere potestatem Ordinis, quam acceperunt. De qua re vide Extravag. *Cum detestabile*.

33. Sequitur altera pars eiusdem argumēti, in qua contendis, irritas esse Ordinationes, quæ fiunt ab Episcopis hæreticis. Ac primò citas Innocentium I, epist. 20. ubi sic scribit: *Arianos, ceterasque huiusmodi pestes, quia eorum laicos conversos ad Dominum, sub imagine pœnitentiæ, ac sancti Spiritus sanctificatione, per manus impositionem suscepimus, non videtur Clericos eorum cum Sacerdotij aut ministerij cuiuspiam suscipi debere dignitate. Quoniam quibus solum Baptisma ratum esse permittimus, quod utique in Nomine Patris & Filij & Spiritus sancti perficitur, nec Spiritum sanctum eos habere ex illo Baptismate, illisque mysteriis arbitramur: Quoniam cum à Catholica fide eorum auctores desciscerent, perfectiorem Spiritus, quam acceperunt, amiserunt, nec dare ejus plenitudinem possunt, quæ maxime in ordinationibus operatur, quam per impietatis suæ perfidiã potius, quam per fidem à: xerim, perdidērunt.* Ubi inquis, agnoscit differētiã inter Baptismum & Ordinem, quòd baptizati ab Arianis, habeantur pro baptizatis: Ordinati autem ab Arianis, non habeantur pro ordinatis. Respondet. Illa verba non habentur epist. 20. quam tu citas, sed epist. 18. quæ est ad Alexandrum Episcopum, cap. 3. Neque nobis contraria sunt. Non enim asserunt ordinatos ab Arianis Episcopis, nō esse validè ordinatos aut cum rede-

unt ad Ecclesiam, iterum ordinandos esse, sed non debere suscipi cum sacerdotij aut ministerij cuiuspiam dignitate, id est, non esse illis permittendum, ut locum & gradum obtineant inter Sacerdotes, quando redeunt ad Ecclesiam. Vide Gabrielem Valquez 3. part. disp. 243. cap. 1.

34. Secundò citas eundem Innocentium (epist. 27. ad Episcopos Macedoniæ) ubi sic scribit: *Ventum est ad tertiam questionem, quæ pro sui difficultate, longiore exigit disputationem. Cum nos dicamus ab hæreticis ordinatos vulneratum per illam manus impositionem habere caput, ubi vulnus infixum est, medicina est adhibenda, qua possit recipere sanitatem, quæ sanitas post vulnus secuta, sine cicatrice esse non poterit, Atque ubi pœnitentiæ remedium necessarium est, illic Ordinationis honorem locum habere non posse decernimus. Nã si, ut legitur, quod tetigerit immundus, immundum erit, quomodo ei tribuetur, quod munditia accipit, ut consuevit accipere? Sed e contrario asseritur, eum, qui honorem amisit, honorem dare non posse, nec illum aliquid accepisse: quia nihil in dante erat, quod ille posset accipere. Acquiescimus, & verum est. Certè quia quod non habuit, dare non potuit, damnationem utiq; quam habuit, per pravam manus impositionem dedit: & qui particeps effectus est damnato, quomodo debeat honorem accipere, invenire non potest.* Respondeo. Hæc verba habentur epist. 22. cap. 3. (tom. 1. concilior.) nec aliud ex ijs colligi potest, quàm ordinatos ab hæreticis, non habere honorem & dignitatem in Eccle-

Ecclesia. Quod sic probat: Episcopi hæretici, qui alios ordinant, non habent honorem in Ecclesia, cum sint præscisi ab Ecclesia: Ergo non possunt alijs dare honorem in Ecclesia. Rectè. At non negat Innocentius, quin sicut ipsi habent Characterem Ordinis, sic alijs eum conferre possint.

35. Tertiò citas Nicolaum I. (epist. 9. ad Michaellem Imperatorem) ubi de Gregorio Syracusano Episcopo schismatico, qui Photiũ ordinaverat, sic scribit: *Gregorius ergo, qui canonicè ac Synodice depositus, & anathematizatus erat, quemadmodum posset quenuquam provehere vel benedicere, ratio nulla docet. Igitur nihil Photius a Gregorio percepit, nisi quantum Gregorius habuit: Nihil autem habuit, nihil dedit.* Respondeo. Non invenio Epistolam Nicolai ad Michaellem, tom. 3. concil. ubi tamen habentur epistolæ Nicolai ad diversos. Nihilominus verba, quæ citasti, eodem sensu explicanda sunt, quo verba Innocentij. Nimirum: *Nihil habuit, nihil dedit*, id est, non habuit honorem & dignitatem Episcopi in Ecclesia: Non ergo potuit dare. Quod verissimum est.

36. Post citata hæc Patrum testimonia (quæ ais videri asperiora, & ad terrendos malos Sacerdotes amplificata) perplexuses. Et duo asseris. Unum est, Sacram Ordinationem sæpè ex aliquo defectu, vel personæ ordinantis vel ordinatæ, irritam & inanem esse: Et qui sic ordinati sunt, non esse verè ordinatos. Alterum, nihilominus eorum ministeria non esse pe-

se penitus irrita. Utrumque confirmas ex Chryſoſtomo homil. 2. in poſterior. ad Timot. ubi ais, illum docere, etiam non ordinatos à Deo, & malos & indignos, validè Baptiſmum conferre, Euchariftiam conficere, ac alia miniſteria peragere. Quod tamen ſpectat ad Ordinationem internam, eam à ſolo Deo peragi, & non omnes, qui ab hominibus ordinantur externe, etiam à Deo ordinari interne. Mox addis: Hi ergo ſi quid efficiunt, non vi Ordinis interioris, ſed ex ſpeciali divina providentia efficiunt, ne ſalus patiatur animarum.

37. Audi Antoni. Tu quidem meritò perplexus es, quia deſerta via veritatis, in varias ambages incidifti: Nec facilè, niſi ad viam redeas, elabendi facultas eſt. Sed Chryſoſtomo injuriam facis. Verba ejus loco citato, ſunt hæc: *An ignoras, quid ſit Sacerdos? Angelus viq; Domini eſt. Non ex ſe ipſo loquitur. Si deſpicis, non illum deſpicis, ſed Deum, qui illum ordinavit. Sed unde, inques, conſtat Deum fuiſſe illius ordinationis autorem? Nempe, niſi tu habeas hanc opinionè, ſpes tua inanis facta eſt. Nam ſi nihil per illum operatur Deus, neque la vacrum habes, neq; myſteriorum particeps es, neq; benedictionibus fruèris. Non ergo Chriſtianus es. Quid ergo? Deus omnes ordinat, etiam indignos? Non omnes quidem ille ordinat, per omnes tamen ipſe operatur, ſalutem populi moliens, nò illorum iniuens merita. Et infra: Quid enim non agit Deus ſalutis noſtræ cauſa? Quid non loquitur? Per quem non operatur? Si enim per Judã operatus eſt, & per Prophetas, quibus dicturus eſt: Non novi vos, perq; illos, qui Demones in Nomine ſuo*

suo ejecerunt, non magis per Sacerdotes divino ministerio famulantes operabitur?

38. In hac tota sententia nihil est, quod difficultatem habeat, nisi illa verba: *Non omnes quidem ille ordinat per omnes tamen operatur*; que tu perperam intelligis. Non enim sensus illorū est, aliquos non esse verè ordinaros Sacerdotes, & tamen validè præstare ea, quæ sunt officij Sacerdotalis, nec præstare, vi Ordinis, sed ex speciali Dei providentia, (quod tuum commentum est.) Sed non omnes Sacerdotes, qui habent characterem, habere etiam gratiam Ordinationis: ac proinde, non omnes, quoad integrum effectum Ordinationis, à Deo ordinaros esse, Deum tamen per illos, ratione characteris, multa operari. Quod confirmat duplici exemplo. Uno Judæ proditoris, qui certè habuit characterem Ordinationis, juxta illud, *Act. 1. 20. Episcopatum ejus accipiat alter: non tamen habuit gratiam Sacramentalem, quia fuerat & proditor.* (Joan. 12. 6. & cap. 13. 2.) Altero, quorundam aliorum, qui in nomine Dei prophetabant & Dæmonia ejiciebant; & tamen erant mali ac Deo ingrati. Et quidem, quatenus prophetabāt & miracula faciebant, Deus per illos operabatur; quatenus verò erant impij, non censebantur perfectè à Deo ad hoc officium vocati esse.

39. TERTIUM ARGUMENTUM, quo probas Ordinem non esse Sacramentum, multis verbis otiosè inculcas. Summa est hæc: Ex scriptura apertè constat, Baptismum & Euchari-

stiam

Itiam esse Sacramenta, à Christo instituta: At non constat aperte, Ordinem esse Sacramentum à Christo institutum: Ergo. Respondeo. Primò falsum est, non constare id ex Scriptura. Jam suprâ ex scriptura ostensum est, Ordinem esse Sacramentum. Sed esto, non constet ex Scriptura: An ideo Sacramentum non est? Sufficit nobis, constare ex Traditione. Si respicis Traditionem, quomodo probabis Symbolum Apostolorum, quod in Ecclesia legitur, Apostolicum & canonicum esse? Beatam Mariam, semper virginem mansisse? Baptizatos ab hæreticis, rebaptizandos non esse? Et quæ similia sunt. Si autem admittis Traditionem, cur in hac quæstione, An Ordo sit Sacramentum, non admittis?

40. Sed urges: Canonistæ docent, Summum Pontificem solo verbo posse facere Sacerdotem & Episcopum. Nec ullus Catholicorum audet contra illos mutire. At si sacer Ordo esset Sacramentum, non sufficeret solum verbum, sed opus esset externa ceremonia, sicut fit in alijs Sacramentis. Respondeo 1. Falsum est, quod de Catholicis assumis. Hi enim generatim docent cum D. Thoma 3. part. q. 60. art. 6. ad 2. Omnia Sacramenta novæ legis constare rebus & verbis, tanquam materia & forma, quæ sunt partes essentielles. Et multi speciatim docent, impositionem manuum, quæ est externa ceremonia, esse materiam essentialem Sacramenti Ordinis, ut Bonaventura, Scotus & Paludanus in 4. dist. 24.

Altiliodorensis in Summa, par. 4. Petrus Soto, lect. 5. de Sacrament. Ord. Martinus Ledefmius in 4. quaestio. 36. artic. 4. ad 1. Bellarminus lib. de Sacrament. Ordinis, cap. 9. Henriquez cap. 6. & plures alij. Ergo hi saltem non concedunt Pontificem solo verbo posse facere Sacerdotem vel Episcopum. Nam si impositio manuum est de essentia Ordinis, non potest conferri Ordo sine manuum impositione. Respondeo secundò Canonistæ non loquuntur de tota ordinatione, sed de sola forma; & tantùm volunt dicere, cum sic loquuntur, non esse necessarias absolutè tot orationes, unctiones, ac ceremonias; sed sufficere manuum impositionem, quam Apostoli nunquam omittebant, cum verbis quibus significetur, tradipotestas sacerdotalis: Proinde ex sententia Canonistarum non sequitur, sufficere verbum sine aliqua ceremonia, sed requiritur saltem manuum impositio, quæ in scripturis passim exprimitur. Sicut & è contrario, cum dicitur in scripturis, & in ipso Concilio Tridentino sess. 14. capit. 3. de extrema unctione, Sacerdotes ordinari per manuum impositionem; non intelligimus, ita solum sufficere manuum impositionem, ut non requiratur aliquod verbum, declarans potestatem, quæ datur.

41. Iterum urges: Petrus Damiani Episcopus Ostiensis, in relatione suæ Legationis Mediolanensis (apud Baronium tom. 11. Annal. Anno Christi 1059. num. 59.) idem sentit, quo.

terpretaris; quia illa potestas non erat illis ablata: Sed intelligit licentiam utendi potestate Ordinis. Ita que sensus est: Ex illis omnibus qui Simoniacè erant ordinati, aliquos accepisse licentiam utendi sacro Ordine; alios non item. Omnes tamen valide fuisse ordinatos. Jam quod ad factum S. Petri Apostoli attinet, quo S. Apollinarem uno verbo Episcopum fecisse dicitur, eodem modo intelligendum, id est, quo antea de Canonistis dictum est; non negari scilicet, quin & manus eidem B. Petrus imposuerit, & verbis, quæ recensentur, potestatem, quam signo conferebat, expresserit; & si Petrus Damiani verborum tantum faciat mentionem.

43. QUARTUM ARGUMENTUM: Si dicamus Ordinem esse Sacramentum, & præterea Episcopatum esse distinctum Ordinem à presbyteratu; emergent inextricabiles & insolubiles difficultates. Vel enim dicendum erit, Episcopatum & presbyterium esse duo Sacramenta, vel unum. Si duo sunt, multiplicatur numerus Sacramentorum. Si unum, quomodo sunt distincti Ordines? Respondeo. Nimis frigidè, Antoni. Multa sunt mysteria fidei Christianæ, præsertim mysterium Trinitatis, Incarnationis, prædestinationis, Eucharistiæ, ex quibus emergunt multò majores difficultates, quàm ex Sacramento Ordinis: an ideo neganda sunt? Nullo modo. Intellectus in captivitate fidei redigendus est. Et quæ non possumus humano ingenio penetrare, di-

vina fide credenda sunt. Nam *fides*, teste Apostolo, est *argumentum rerum non apparentium*. Esto igitur: emergant aliquæ difficultates circa Sacramentum Ordinis; non ideo negandum est, Ordinem esse Sacramentum. Alioquin pari ratione, neganda esset realis distinctio personarum in una Deitate; Hypostatica unio duarum naturarum in Christo; æterna hominum prædestinatio ad gloriã; præsentia corporis Christi in Eucharistia. Quod absit.

44. Porro difficultates, quas prætendis, non sunt tanti momenti, ut explicari non possint. Nam si dixerò, Episcopatum & Presbyteratum esse duos Ordines specie distinctos, & similiter duo Sacramenta specie distincta, sub eodem genere Ordinis; quid difficultatis hinc emerget? Multi hoc dicunt, & probabiliter defendunt. Adde, ex tua sententia, plures oriri, non dicò difficultates, sed absurditates. Recitabo aliquot, quas tu admittis. Sunt autem hujusmodi, 1. Ordo non est Sacramentum, sed mera ad ministerium deputatio, sine ullo caractere aut impressione. 2. Potest aliquis ex laico immediatè fieri Episcopus, & non necesse est, ut prius fiat Sacerdos. 3. Melius est, si necesse sit, ex laico immediatè fieri Episcopum, quàm Lectorem, Ostiarium, Exorcistam.

4. Impositio manuum non est à Christo instituta, sed tamen ab Apostolis usurpata. 5. Sacer Ordo amitti potest, & iterari. Unde,

qui

qui nunc Sacerdos aut Episcopus est, potest
 cras non esse: Et postquam desuit esse, potest
 iterum ordinari. 6. Nullus ritè ordinatur, in
 quo gratia præstò non sit. 7. Ordinatio si sit
 legitima, semper confert gratiam: non ex o-
 pere operato, sed ex sola deputatione, per le-
 gitimam auctoritatem facta. Hæc & similia,
 quæ antiqui Theologi censent absurda esse;
 tibi, homini novatori, placent vel maximè.
 Sed duo ex te quero. Primò, an Episcopus,
 qui committit peccatum mortale, retineat
 potestatem Ordinis nec ne? Si retinet, potest
 validè conferre Ordinem, quod supra nega-
 sti. Si non retinet, necesse est, vel te non am-
 plius Episcopum esse, vel si adhuc es, nūquam
 peccasse mortaliter, ab eo tempore, quo Epi-
 scopatum suscepisti. Quid dicis de teipso? Se-
 cundo, an possis ostendere ex Scriptura, quòd
 Deus, extra Sacramētum, det alicui gratiam,
 ad solam alterius hominis deputationem? Vel,
 quòd Christus instituerit, ut aliquis solo ver-
 bo deputantis, ordinetur in Sacerdotem, si-
 ne ulla externa ceremonia? Et, si hoc institue-
 rit, quare Apostoli non servarint hanc in-
 stitutionem, sed manuum impo-
 sitionem adhibue-
 rint?

An Augustinus duo tantum agnoscat Sacramenta?

1. **TU** affirmas lib. 2. c. 4. n. 33. his verbis: *Si de vero & maximè proprio Sacramento sit sermo, Augustinus duo tantum agnoscit Sacramenta, quae clarè & expressè pateant à Christo esse instituta. Sic enim loquitur epist. 118. Unde Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione praeclatissimis, societatem novi populi colligavit. Sicut est Baptismus Trinitatis nomine consecratus; Communicatio corporis & sanguinis ipsius; & si quid aliud in Scripturis canonicis commendatur.*

2. Theologi Parisienses in sua censura dicunt, hanc tuam propositionem esse falsam, & in beatum Augustinum contumeliosam. Et sic est. Quod dupliciter ostendo. Primo generatim, ex verbis illius jam citatis. Nam si agnosceret duo tantum Sacramenta, Baptismum & Eucharistiam; frustra, post illa duo enumerata, addidisset: *Et si quid aliud in Scripturis canonicis commendatur.* Debuisset ex tua sententia dicere: *Et praeter haec duo, nullum aliud in Scripturis canonicis commendatur.* Eodem modo loquitur Concion. 1. in Psalm. 103. *Munus, inquit, Sacramentorum in Baptismo & Eucharistia, & in ceteris sanctis Sacramentis, quale munus est?*

3. Secundò speciatim. Nam praeter Baptismum & Eucharistiam, agnoscit quinque alia,

alia, quæ etiam nos agnoscimus. Agnoscit Confirmationem, lib. 2. contra liter. Petilianum, cap. 104. cùm ait: *Sacramentum chris-matis in genere visibillum, Sacramentum est Sacrosanctum, sicut ipse Baptismus.*

Agnoscit Ordinem, lib. 2. contr. Epist. Parmeniani, c. 13. ubi cõfert illum cum Baptismo, his verbis: *Utrumq; Sacramentum est, & quadam consecratione utrumq; homini datur: illud, cum baptizatur; studium ordinatur, ideoq; in Ecclesia Catholica utrumq; non licet iterari.* Alibi familia habet, ut supra visum est.

Agnoscit Pœnitentiam, lib. 1. de adulterin. conjug. c. 26. & 28. *Eadem est, inquit, causa Baptismi & Reconciliationis, sine quibus Sacramentis homines credunt, se non debere exire de corpore.*

Agnoscit Matrimonium, libr. 1. de nupt. & concupisc. cap. 10. *Hujus Sacramenti res est, ut mas & femina cornubio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent.*

Agnoscit Extremam unctionem, Serm. 215. de temp. *Quoties aliqua infirmitas supervenerit, Corpus & sanguinem Christi, ille qui agrotat, accipiat: & inde, corpusculum suum ungat, ut illud quod scriptum est, impleatur in eo: Infirmatur aliquis, inducat presbyteros, & orent super eum, ungentes eum oleo. &c.*

4. Vides, Antoni, Augustinum non duc tantum, ut tu falsò illi imponis, sed plura Sacramenta agnoscere. Et quidem propriè. Nam expressè dicit, *Confirmationem esse Sacramentum, sicut est Baptismus.* At Baptismus est propriè

priè Sacramentum, quod nemo negat : Ergo & Confirmatio. Similiter Pœnitentiam confert cum Baptismo, afferens eandem esse Baptismi & Reconciliationis causam. Idem affirmat de Ordine.

CAPUT SEPTIMUM.

De Monachis & Apostatis.

1. **M**ulta afferis de Monachis & Apostatis. lib. 2. c. 12. quæ partim falsa, partim inter se pugnantia sunt. Ea breviter percurram. Primò afferis, votum simplex & solenne, esse unum idemque votum essentialiter, ejusdem valoris & obligationis, (n. 17. itaque coram Deo, votum simplex & votum solenne. unicum essentialiter, & idem votum est, ejusdem prorsus valoris, ejusdemq; obligationis. Et num. 41. Votum ex solennitate nihil acquirit, quod essentialiter, dum simplex esset, non haberet.) Hanc assertionem revocas alibi, ut paulò post patebit.

2. Secundò afferis, votum simplex & solenne, nō aliter differre; quàm quòd alterum externum sit, (n. 37. Si loquamur de quocunq; voto in genere, simplex votum est, quod privatim Deo fit internè inter hominem & Deum solum : Solenne verò erit, si hoc ipsum internum, etiam publicè fiat, & actu externo coram alijs declaretur. Et n. 32. Votum simplex voco id, quod est internum : Solenne verò, quod præterea externè fuerit manifestatum. Et n. 35. Differunt, ut internum & externum; con-

ceptum & prolatum; cogitatum & explicatum.)
 Hæc assertio est nova, contra communem
 Theologorum sententiam.

3. Tertiò asseris, votum internum, nõ esse
 votum, sed propositũ; nec obligare corã Deo,
 (n. 19. *In posteriori verò, [id est, in voto persona-
 li & permanente, quale est votum Religioso-
 rum] facile mihi persuadeo, ex sola interna delibe-
 ratione, & plenissima etiam electione, votum quod
 de se jam plenum & perfectum esse deberet, pro ple-
 no & perfecto à Deo nondum haberi, sed quamdiu
 internum est, potius propositi, quam voti rationem
 habere. Et n. 31. Vota monachandi, simplicia sunt,
 quamdiu in interno homine latent, inter ipsum &
 Deum solum: & hæc, dum ita simplicia sunt, adhuc
 hominem non obligant, etiam coram Deo. Et ibi-
 dem in fine: tantum igitur abest, ut in voto sim-
 plici, hoc est, purè interno religionis, necessaria sit
 Papalis dispensatio, ut ne dispensatione quidem in-
 digeat, qui vovit; sed sit in libertate ipsius id exe-
 qui, & non exequi. Et n. 32. In personali & perma-
 nente voto, aggressio illa, & vita susceptio, per quã
 ego solam id ex simplici sole ne facio, est essentialis
 huic voto, quia per illam hoc votum, votum est, &
 sine ea coram Deo votũ non est, sed tanquam merũ
 propositũ.)* Hæc assertio est et nova, & destruit
 duas præcedentes. Nam in prima dixisti, vo-
 tum simplex & solenne non differre essentialiter.
 Hic dicis, differre essentialiter: Et solène dif-
 ferre à simplici, per susceptionem vitæ religiose,
 tanquam per differentiam essentialem. Rur-
 sum in prima dixisti, votum simplex & solenne
 esse

esse ejusdem valoris & obligationis, Hic dicis, *simplex non obligare coram Deo, nec habere rationem voti, sed tantum propositi.* Præterea in secunda dixisti, *simplex solū differre à solenni, sicut internū ab externo.* Hic dicis, *differre, sicut propositū à voto, sicut nō obligans ab obligante.* Scandalosa hæc sunt: & magnā fenestram aperiūt ad perfidiā.

4. Quarto asseris, externam voti professionem plus obesse Ecclesiæ, quàm prodesse, (nu. 29.) *Si quis ex me querat plusne profuerit, an obfuerit vera religioni, externa hæc professionis additio; dicam ei: Apud me clarum esse, longe majus esse detrimentum inde secutum, quam emolumentum.* Hæc assertio est falsa, & in factis Religiosorum Ordines contumeliosa. Lege Platū de bono status Religiosi, & invenies, quātum boni contulerint in Ecclesiam Patres Dominicani, Franciscani, Benedictini, & alij passim. Et qui hoc tempore fortius defendunt Ecclesiam, quā Religiosi? Qui nervosius oppugnant hæreticos, Apostatas, scribendo, disputando, concionando, quam Religiosi? Quod autem nonnulli ex illis, ut Lutherus, Bucerus Petrus Martyr, Pellicanus, Ochinus, Oecolampadius, & tu Marce Antoni, hæretici & Apostatae facti estis; magnum quidem detrimentum est: sed vestræ perfidiæ, nō externæ votorum professioni imputandum. De quo tamen ipso detrimento, meritò potest dubitari, an non plus profuerit Ecclesiæ, quàm obfuerit. Vobis quidem, tanquam privatis hominibus, obest vel maximè, quia facit vos reos æternæ damnationis,

tionis, sed Ecclesiæ non parum prodesse, certissimum est. Vestra enim paucorum defectio, & Apostasia, excitat multos alios, tum ad diligentem cautelam in posterum; tum ad majorem fidei explicationem & propugnationem. De qua re vide Augustinum, si vis, in lib. de vera Religione.

5. Quintò asseris duos esse effectus voti solennis, qui turbant Ecclesiam, (n. 37. *Duos sunt præcipui effectus voti solennis, quos nostri Romana doctrina Theologi ponunt & defendunt: & tamen, sicut novi sunt, & olim in Ecclesia inauditi, ita multas inducunt in Ecclesiam turbationes, & multa incommoda, atque animarum damna non contemnenda. Alter effectus est inhabilitatis ad matrimonium; alter verò Apostasia, si Monasterium deseratur.*) Hæc assertio est falsa & contumeliosa. Falsa dupliciter. Primò, quia Apostasia non est effectus, sed transgressio voti solennis. Nam solennitas voti non est causa Apostasie; sed quasi destruitur & enervatur per Apostasiam. Secundò, quia inhabilitas ad matrimonium non turbat Ecclesiam, sed malitia Apostatarum; qui cum voverint perpetuam castitatem, postea non servant, quod voverunt. Hinc scandala & alia incommoda oriuntur.

6. Sextò asseris, votum solenne non dirimere matrimonium subsequens, ac proinde si Monachus contrahat matrimonium, validè contrahere. Num. 43. *Concludimus hæc voti solennitates Monachorū, impedire quidem ac vetare, ne matrimonium contrahatur; contractum tamen*

post illas, ex eis non dirimi, sed esse ratum, firmum, & validum, tam in Monacho quam in Moniali; sicut post votum simplex.) Hæc assertio est Lutherana, & ab Ecclesia damnata in Concilio Tridentino, Sess. 24. can. 9. Et merito. Nam antiqui Pontifices & Concilia statuerunt, votum solenne Religiosorum non solum impedire, sed etiam dirimere matrimonium, ut Concilium Tolosanum primum, c. 16. Turonenſe secundum, can. 16. Gregorius I. lib. 1. epist. 49. Alexander III. cap. Meminimus, qui Clerici vel voventes. Bonifacius VIII. cap. unic. de voto, in 6. Verba Bonifacii sunt hæc: *Præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solenne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem expressam vel tacitam, factam alicui de Religionibus, per Sedem Apostolicam approbatis.*

7. Septimò asseris, Monachos, si post vota solennia contrahant matrimonium, non peccare contrahendo matrimonium, sed solum peccare recedendo à vita monastica, (n. 38. *At verò Monachus & voti reus est, & promissa fidei. Quòd si uxorem ducat, malum non facit, quòd uxorem ducat, sed quòd uxorem ducendo à vita monastica, quam professus est, recedat.*) Hæc assertio falsa est. Nam voluntas contrahendi & consummandi matrimonium, repugnat voto perpetuæ castitatis, ut per se constat: Ergo talis voluntas mala est. Quod tripliciter confirmo ex tuis verbis. Primo, quia *vita Monachorum,*

ut tu ibidem loqueris, *essentialiter & substantialiter includit cœlibatum & continentiam*: Ergo qui vovet vitam monasticam, eodem actu essentialiter & substantialiter vovet cœlibatum & continentiam. Ergo voluntas recedendi à vita monastica, essentialiter & substantialiter includit voluntatem recedendi à cœlibatu & continentia. At prior voluntas est mala, ut tu fateris: Ergo & posterior. Malum igitur est, velle recedere à cœlibatu & continentia, quã vovisti: At hæc voluntas recedendi à cœlibatu essentialiter includitur in voluntate contrahendi & consummandi matrimonium, post votum solenne. Secundò, quia, ut ibidem loqueris, *idem est Monacho uxorem ducere, quod Monachatum deserere*. At Monachus peccat Monachatum deserendo: Ergo peccat uxorem ducendo. Tertiò, *Monachus, qui ad nuptias appellit aximum, is voti sui desertor, fidem suam irritam facit*, (verba tua sunt.) At Monachus sine dubio peccat deserendo suum votum, & irritam faciendo suam fidem: Ergo etiam peccat animum ad nuptias appellendo.

8. Octavo asseris, Monachum, si deserat suum statum, non magis peccare contrahendo matrimonium, quàm continentiam servando, (num. 38. *Idem prorsus peccatum erit Monacho, si à monachatu recedat, etiamsi abstineat à conjugio, & in cœlibatu perfectissime cum plenissima continentia perseveret; ac si uxorem ducat*. Rationem addis, quia votum monachale, non versatur immediatè circa cœlibatum &

continentiam, sed circa regulam monasticã.) Hæc assertio est falsa, sicut præcedens. Primò, quia si Monachus deserat suum Ordinem, & nihilominus velit servare continentiam; nullo modo peccat in eo præcisè, quòd velit servare continentiam, quia ex hac parte vult servare, quòd per votum Deo promisit. At peccat volendo contrahere & consummare matrimonium, quia ex hac parte non vult servare, quòd Deo promisit. Ergo non est par ratio. Secundò, quia servando continentiam, non facit se inhabilem ad resumendam vitam monasticam. At contrahendo matrimonium, facit se inhabilem. Qui autem facit se inhabilem ad id servandum, quòd ex voto tenetur servare, peccat. Ergo Monachus peccat matrimonium contrahendo, non autem continentiam servando: Nec verum est, quòd ais, *votum monachale non versari immediate circa celibatum & continentiam.* Nam Monachus, dum vovet, vel expressè vovet vitam monachalẽ, vel expressè castitate, paupertatem & obedientiam, quæ tria constituunt vitam monachalem. Si postèrius, captus es. Si prius, æquè captus es. Nam vita monachalis, ut paulò antè dicebas, essentialiter & substantialiter includit celibatum & continentiam.

9. Nonò asseris, vel videris asserere, Monachos non fieri Apostatas, si post vota solennia deserant suum statum in Summa capitis. *Solenne votum est solubile, nec ejus desertio verè facit Apostasiam.*) Hæc assertio similiter falsa est,

est, & in totam Ecclesiam contumeliosa: Atq; ad hoc solum à te posita, ut suscipias patrocinium Lutheri, & similibus Monachorum, qui statum Monachalē turpiter deseruerunt, (de te nihil dicam: relinquo te tuae conscientiae.) Certè ex communi totius Ecclesiae consensu, & ex ipsa Etymologia vocabuli, Apostasia idè est, quod defectio: & Apostata idem, quod defector, desertor, transfuga. Consule Calepinum: At Monachus, qui post vota solennia recedit à suo statu, quid aliud est, quàm defector, desertor, & transfuga à suo Ordine?

10. Decimò asseris, Ecclesiam nihil juris habere in Monachum desertorē, (n. 45. *Quid si propria auctoritate, sine causa legitima, quis Monachus professus, fiat desertor? Hic sane peccat contra Deum & damnationem habet; sed Ecclesia nihil habet contra illum, in foro externo.*) Hæc assertio est contra scripturam. Nam Ecclesia potest quēlibet Christianum in externo foro reprehendere, punire, & etiam excommunicare, si delinquat & contumax sit. Matth. 18. 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Et 1. Cor. 4. 21. *Quid vultis in virga veniā ad vos, an in Spiritu mansuetudinis?* Et 2. Cor. 13. 10. *Hæc absens scribo, ut non praesens durius agam, secundum potestatem, quā Dominus mihi dedit.* Et 2. Thess. 3. 14. *Si quis non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate, & non commisceamini illi.* Cur hinc excipis Monachum, sui status desertorem? Dicā, Antoni. Tuā causam ubiq; agis. Desertor es: Transfuga es: Peccatum non agnoscis: puniri

puniri non vis. Sed contra Deum non valet tergiversatio.

11. Undecimò asseris, Monachos nō posse esse Clericos, seu sacris Ordinibus initiatos. (n. 51. *Ex hoc ipso evidenter colligitur, Monachos, qui monachatum cum clericatu confuderunt, jam neque esse veros Monachos, neque veros Clericos. Clericatus enim cum monachatu pugnat, & sunt incompatibilia.*) Hæc assertio est contra perpetuam Ecclesiæ praxin. Nam Benedictini, Frāciscani, Dōminicani, Carthusiani, & alij Religiosi, semper habuerunt, & adhuc habent Sacerdotes sui Ordinis, qui simul & Monachi, & Sacerdotes sunt. Et tu audes, Antoni, hanc praxin tot seculis servatam & confirmatam, jam tandē carpere & accusare? Nimirum, hoc tantū sectari te video, ut sicut desertor es Ordinis, ita etiam desertor sis doctrinæ, quam Ecclesia Catholica profiteretur.

12. Omitto alias assertiones, & que absurdas, quæ propè infinitæ sunt. Et hīc finio. Si, quod vehementer opto, redibis ad Ecclesiam, ex qua digressus es, erit mihi occasio gaudij ac consolationis. Sin animum obstinaveris, perpendam illud Apostoli: *Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time.* Item, *Vide bonitatem & severitatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioqui & tu excideris.*

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header.

Main body of handwritten text, appearing to be a list or series of entries, though the characters are highly stylized and difficult to decipher.

Handwritten text at the bottom of the page, possibly a signature or date.

Printed text at the very bottom of the page, possibly a page number or reference.



5-6-2

RESTAURUM LIBRO ANTICO
Gav. C. DI GIACOMO
PREGARA

1973

